Responsio.

GEORGII TYSKIE-
WICZ SOCIETATIS
IESV.

Ad Libellum Famosum, cuiusdam Anonymi Torunensis:

Patrocinium veritatis Literarum Torunensium falsò inscriptum.

CRACOVIÆ,

In Officina Nicolai Lobij,
Anno Domini 1615.

✠ ✠

ILLVSTRI AC MAGNIFICO DOMINO, D. FABIANO PLEMIENCKI. &c.

Author gratiam á Deo & Fœlicitatem.

DIgna res profectò fuit, Illustris & Magnifice Domine, vt singularis illa tua erga me, nostrumque Ordinem vniuersum beneuolentia, constansq; fauor, ac nomen tuum clarissimum, excellentioribus, & grauioribus ornaretur monumentis, quàm hisce præsentibus; in quibus calumniarum caligo, qua maleuoli, & perpetuò iurati nostræ Societatis hostes, nomen eius opprimere conati sunt, veritatis luce discutitur; & faces criminationum, ad eiusdem Societatis gloriam, si non perdendam, saltem fuscandam accensæ, imbribus refutationis extinguantur. Verùm postquam te syncera, familiariq; consuetudine cognoui, & impensius cœpi & diligere, & obseruare; eam legem indixeram, & penè præscripseram operibus meis; vt quidquid deinceps me Authore, aut labore meo in lucem exiret, atque in vulgus emanaret; tui antiquissimi illustraretur nominis principio, & firmissimo gauderet Patrocinio. Accedit illud etiam, quod vt famæ, ita & innocentiæ nostræ non solùm acerrimus vbiq; sed & testis religiosissimus sem-

per extitisti; proinde æquum videbatur, eam in hoc libello vindicatam & defensam, tuo quoq; testimonio, autoritateq; tueri grauissima: vt hi homines maleuoli, & graues boni nominis, integritatisq; nostræ aduersarij, quà silendo impudenter, quà fingendo turpiter, aut erubescant aliquando, aut quod optandum est conticescant. Calissij ex Collegio Carncouiano Societatis Iesu. 29. Decembr. Anno Domini 1614.

LECTORI BENEVOLO

PRodijt non ita pridē libellus quidā, vtinā, ita verè, vt honorificè, Patrocinium veritatis nuncupatus: in quo, Oratio pro nostra Societate ad Senatum Equitesq; Polonos scripta, contra querelas Torunensium, Comitijs Proslouiensibus & Sredensibus propositas, non tam rationibus refutatur, quàm maledictis ac mendacijs oneratur. Hunc igitur, quòd nostrum ordinem more hæreticorum, calumnijs ac conuitiis mirè lacesseret, quidam amicus nostræ Societatis insignis, vir è præcipua nobilitate Poloniæ, pro amicitia ad me detulit: miratus & odiū Torunensium, ex quorum Officina (vt ille putabat) tot monstra prodigiosa, tot chartæ infames, contra nostros homines certatim prodeant; & nostrum silentium, qui tam manifesta, & crassa mendacia, impunè bachari permittimus. Accepi libellum, & tum illius suasu, tum aliorum impulsus consilio, & maximè *maiorum mandato*; quid machinaretur, cui patrocinaretur veritati, quàm rectè nostrum Oratorem refutaret, indagandum suscepi. Eum tamen modum in respondendo mihi proposui, vt non ad singula quæ obiecit ipse respondeam: oleum enim & operam perdere me existimarem, si ad veteres calumnias, ab ipso ex aliorum famosis contra nos libellis descriptas, & insignibus apologeticis scriptis Richeomi, Bonarscij, Gretseri, Montani, Eudæmon Ioannis & Anticotoni dilutas; sine vlla necessitate denuo responderem: sed ad ea solùm, quæ nobis in causa suorum clientum Torunensium obiecit, & quæ sine grauiori Societatis nostræ, & Collegij illius in eadem ciuitate præiudicio, transiri non possint dispiciam. Atq; eò libentiùs huic operi manum admoui, quòd & quid inter nos & Torunenses negocij intercedat, probè norim, cùm Rector Collegio illi, non ita pridem præfuerim: & Torunensibus contra nos libellos famosos liberè spargendi, ansam auferri, maximè desiderârim: qui quicquid in eos à quouis dicatur & scribatur, id a nobis dictum scriptumque maliciosè suspicentur. Nam & hic Anonymus, nostræ Societati hanc ait innatam esse consuetudinem, vt quemuis procacissimo dicendi genere, suppresso authoris nomine proscindat, cùm suum ipse nomen vt luce indignum subticuerit. In causa, inquit Iesuitarum illa Oratio scripta est: Ergo Iesuita author eius. Atqui præter tot calumnias

lumnias, hic ipse illius libellus contra Iesuitas, in causa Senatus Torunensis prodijt: ergo etiam non nisi quispiam è Senatu Torunensi, illius Author esse potest. Sed facilè patior id nobis à Torunensibus imputari, cuius ipsi sibi conscij sunt: qui pro more suo, hoc est Caluinistico, cúm totam Ecclesiam, tùm nostram maximè Societatem maledictis, calumnijs, quocunque modo possunt, clam, palamué lacessendi, finem nullum faciunt. Nemo siquidem, faciliùs de alio crimen suspicatur, nisi qui se reum illius esse sentit. Iam verò, num Torunenses Iesuitas adeò timidos, suæque causæ diffidentes, esse putant, vt sub nomine proprio, obiecta sibi crimina diluere non audeant? quid illa Oratio habuit, vt eam Iesuitæ, si quidem illorum fuerit, suam esse negarent? Atq; vt Torunenses intelligant, Iesuitas vt lucis filios, tenebras non amare, lucem non odisse, libens hanc Prouinciam, vel hoc ipso nomine, suscepi: non autem quòd innocentiæ nostræ, quæ longé melius, quàm Torunensium, non huic solúm regno, sed toti mundo nota est, timeam; aut veritatem, quæ per se, vbique firma est, non satis tutam esse, nisi eam mea Oratione protegam, iudicem. Deinde illud velim sibi Torunenses de nobis persuadeant, nos dum huiusmodi Apologeticos libellos, vrgente necessitate, ad bonum nomen Societatis nostræ, a calumnijs vindicandum, in lucem edimus; eos non maledictis ac conuitijs more Hæreticorum infarcire, sed vt Catholicos & Religiosos homines decet, modesté inimicorum criminationes refellere, veritatem defendere, innocentiæ Patrocinari. Quapropter ita, & ego meam orationem temperabo, vt & ipsa styli moderatio, ac simplicitas, nostræ testis sit modestiæ & candoris: simulque appareat, nos non subterfugere, palàm de nostris iniurijs agere, palàm maledicta refutare, palàm veritatem, innocentiamq; tueri. Vale, Calissij: ex Collegio Carncouiano Societatis Iesu, 29. Decemb. A. D. 1614.

Anonymo Torunensium Patrono.

QVisquis es,(Siue ater, siue albus sis, siue Germanus aliquis Lutherocaluinus, siue Pruthenopolonus, siue, quod probabiliùs est Hugonotus, transfuga, Gallus, precariò in Polonia & locum & victum habens) Anonyme Torunensium Patrone; qui nomen tuum, in defensione eorum à te conscripta (eó quòd te adeò vehementer impudentem esse puderet) suppresisti, accipe nunc pauca hæc, quæ tibi & tuis clientibus damus, plura paulò post, expecta. Ad eas enim solùm calumnias, quibus in nostros Torunij manentes, & Collegium illud, ore tuo perfricto, & infami calamo, per summam tuam impudentiam debacchatus es, respondere nunc visum fuit: & ne lectores beneuolos à lectione respõsionis huius, polixitas ipsa retraheret; & quia alia quæ nobis in hoc tuo patrocinio Torunensium infirmo, & debili, de Gallia, Anglia, & alijs Prouincijs, impudenter obiecisti; adeó iam sunt obsoleta mendacia, & rerũ planè contrariarum euidentia antiquata, totq; doctorum virorum lucubrationibus in lucem editis diluta, vt ea noua responsione indigere pro nunc non iudicemus. Certò enim nobis persuademus, apud omnes æquos rerum nostrarum æstimatores (quales sunt multi etiam ipsimet Hæretici, qui ratione, non affectuum impetu ducuntur) nullam fidem

dem habitura. Quis enim prudens & probus, te vera, à Iesuitis in alijs regnis acta, referre credet, qui hæc, quæ domi, in visceribus ipsis Regni huius Poloniæ aguntur, & ab omnibus videntur; tam impudenter, aliter quàm acta fuerunt, vel agantur, mendacissimo tuo calamo, describere, & in vulgus edere ausus fuisti? Quis te veracem in alienis, & longè à nobis remotis Prouincijs, gestorum relatorem credet; qui te domesticorum, & in oculis omnium factorum, mendacissimum calumniatorem, manibus ipsis esse palpabit? Quare paucis his in præsenti, cum tuis clientibus Toruniensibus contentus esto. Quòd si cum eis perges dicere & scribere quæ vis, audies & leges vnà cum eis quæ non velis.

RESPONSIO, AD LIBELLVM FAMOSVM CONTRA SOCIETATEM IESV, Patrocinium veritatis literarum Torunensium falsò inscriptum.

CAPVT PRIMVM.

Non defuit in Polonia Torunensibus Iudex, apud quem de iniurijs contra Ordinis nostri homines, si quas haberent, quererentur.

PRiusquam Torunensium querelas, in Conuentu Proszouiensi, & Szrodensi expositas, futiles fuisse ac iniustas, doceret Orator ille, qui nostræ Societatis causam, ab huiusmodi criminationibus, apud Nobilitatem Polonam vindicandam suscepit; arguit in primis Torunenses, quòd cum Iudex non deesset ordinarius, coram quo de iniurijs, si quas habebant iudicio contenderent; ad Conuentus Nobilitatis publicos, qui non nisi ob Reip. negotia indicuntur, & eo tempore ob solutionem Militi Confæderato faciendã instituti erant, confugissent: cuius rei non aliam causã fuisse existimat, quàm quia non accusare sed calumniari voluerunt. Quid ad hæc cum suo Patrono Torunenses? *Salsè inquiunt, Nobilitatem Polonam ab illo rideri Oratore, qui vult Torunenses apud Iudicem Ordinarium contra Iesuitas queri, cùm illi nullum forum in Polonia habeant nulliq; subiaceant Magistratui seculari, aut Spirituali.* quod duobus commentis leuissimis, vt paulò infra videbimus probant.

Verùm Iesuitas, sicut & vniuersam Nobilitatem, ac cuiusuis Ordinis hominem, in omnibus causis forensibus, præter personales; brachio subiacere seculari, soli Torunenses ignorant, aut verius, nosse dissimulant: vt qualemcunq; ansam arripiant, dolorem ex Iesuitarũ odio conceptum, occultis criminationibus leniendi, dum palam cum ijs iudicio contendere subterfugiunt. Quis enim vnquam in tota Polonia de Iesuitis est conquestus, quòd in huiusmodi causis ci-

 tati

tati ad iudicia, vt vocamus Arcensia, Terrestria, Tribunalitia, aut Regia, non comparuerint, coram Iudice non responderint, decreta respuerint? Testis est vniuersa Nobilitas Polona, testes ij omnes quibus cum aliquod negotium, nobis hactenus intercessit, testes denique & ipsi Conuentus Petricouienses & Lublinenses, in quibus respondimus, & decreto Iudicum obtemperauimus. Atq; id adeo toti Poloniæ notum clarumq; est, vt mirum sit hunc tenebrionem tantam lucem, si non oculis vsurpare, vel ipsis saltem manibus attrectare non potuisse: qui eas tenebras Nobilitati Polonæ offundere attentauit, quasi Iesuitæ nullum in Polonia iudicium agnoscant, nulla decreta admittant, forum ordinarium declinent. Sed faciant periculum Torunenses, audeant palàm iudicio, non clàm criminationibus rem agant: appellent forum Nobilitatis Culmensis, Regem & Tribunalia, & tùm demum, an verum sit quod dico experientur. Sed alios Iudices Torunenses suæ causæ optarent, scilicet Hæreticos præoccupatos, qui eodem contra nos animo armati, Torunensium voluntati & sententiæ subscriberent: Cæterum dum frustra spes suas, talis Iudicis expectatione alunt, odia quibus possunt criminationibus sustentant. Et hæc causa est, cur suas querimonias contra nos, ad Conuentus Nobilitatis Radzieieuiensem & Dobrzynensem non retulerint, sed remotiores Proszouiensem & Srzodensem quæsierint; nouerant enim suas quiritationes fore apud illam Nobilitatem, vanas, & non acceptandas, vt pote quæ & Torunensium ingenia bene nosset, & nostrum Collegium summo studio promouisset: idcirco alios, quorum aures adhuc integras, suis implerent fabulis quæsierunt. Venio nunc ad probationes Torunensium Patroni. Duobus ille probat argumentis Iesuitas forum in Polonia non habere. Primum est, *Nulla inquit vnquam in Polonia causa fuit agitata, in qua Iesuitæ rei fuerint.* O subtilem & argutam ratiocinationem! o acephali Philosophi consequentiam? o magnum probrum Iesuitis obiectum? quid hoc rei? quæ hæc insania? Itane? nemo Magistratui subiectus putandus est, nisi vt reus ad iudicium citetur vel in eo damnetur? Cui vnquam vitio reputatum est, quòd nusquam in iudicio reus damnatus fuerit? quis non summæ innocentiæ ac integritatis dixerit, nusquam in iudicijs capitis, fortunarum, infamiæ periculum adijsse? Sed esto non sit subiectus magistratui, qui nunquam vt reus in iudicijs comparuit. At Iesuitas tales esse vnde probat Anonimus? fortassis quia nunquam in subsellijs Torunensium, vt quiuis alius ex Plebe, causam dixerunt, & obiectis

respon-

responderunt. hoc est quòd ille cum suis Torunensibus & indolet & vellet. Sed an iustè, iudicent ipsi, quàm verò rectè pronuncient, nunquam nos in iudicijs secularibus, citatos & accusatos comparuisse, iam viderunt.

Alterum est Anonismi argumentum. *Nullum inquit Iesuitæ in Polonia Magistratum agnoscunt: ergo non sunt illi subiecti.* Chrysippæi sanè argumentum ingenij. Nam preterquam quòd antecedens falsum sit, vt vniuersæ, præter Torunenses, notum est Poloniæ; consequentia tamen nulla est. Nam vel Iesuitæ proteruè ac temerè Magistratũ secularem non agnoscunt, vel legitimè. Si primum, subiacent Magistratui, qui semper proteruos homines compescendi ius habet. Si secundum perquam ridiculi sunt Torunenses, qui cùm Iesuitas Magistratum secularem non agnoscere sciant (quod tamen nunquam probabunt) eos in varijs Conuentibus tot criminationibus, tot accusationibus lacessere non desistant. Verùm multò æquius nos fuerat, de vobis Torunenses, in hoc genere seriò queri; non quidem quòd Iudicem in Polonia non habeatis; sed quòd varijs artibus iudiciorum æquitatem declinare, molestissimis tergiuersationibus, nos iniuria affectos, à suscipienda lite deterrere, mandatorum deniq; regiorum vim, mille technis & protelationibus subterfugere consuetum habeatis. Meministis credo illius controuersiæ, quæ de domunculâ nostris ædibus adiectâ, nostro ære ab equestris ordinis homine comparatâ, vobiscum nobis per decem annos (tam diu enim vestris artibus in re tam patente ea tenuit) in Aula Regia intercessit. Facessite igitur & nostro Oratori succensere desinite, cùm vobis vitio vertit, quòd posthabito iudicio ordinario, ad Conuentum Srzodensem & Proszouiensem, cum vestris nænijs appellaueritis, siquidem Iesuitæ Magistratum agnoscunt, eiq; obtemperant.

Sed dum finem huic capiti facio, ne quis scrupulus Torunensibus remaneret, aliquid etiam de personalibus causis addendum occurrit, vt si quid contra Iesuitas hoc in genere habeant, eos nullum iudicium subterfugere velle intelligant. Est Legatus Summi Pont. in Polonia, audete iam Torunenses, attentate, experimini: neq; enim Iesuitæ maioribus, Priuilegijs aut exemptionibus in hoc iudicio Ecclesiastico, quàm cæteri religiosi Ordines exempti, qui tamen, per specialem Summi Pontificij delagationem, ab inferioribus illo iudicari possunt. Sunt præterea Archiepiscopi, & Episcopi, qui possunt, & solent obtinere à Summo Pontifice visitandi Religiosos, in sua Diœcesi commorantes, etiam exemptos, eosq; casti-

q; castigandi potestatem, nec eam in legitimis causis Summus Pont. denegat; imò hic noster modernus Paulus V. eam Illustrissimis, Archiepiscopo Baranowski & Episcopo Posnanien: Opalinski, in visitandis & reformandis quibusdam Cænobijs & Abbatijs, liberalissimè concessit. Ad hos ergo si quid contra nos Torunenses habent, appellent, non subterfugiemus, non resistemus, imo si illis ita placet, nos ipsi à Summo Pont. impetrabimus, vt ei, quem ipsi illi ex his elegerint, inter nos & illos controuersiam dirimendi faciat potestatem.

Sed quid ego cum Torunensibus tam liberaliter ago, vt iudicem qui nostram causam iudicet, nos impetraturos pollicear? si quidem satis euidenter ostensum est, nostræ Societatis homines nulli non parere Magistratui. Ite verò Torunenses (quo iam ante vos remittere debuimus) ite ac demum ex literis Illustrissimi Episcopi Cuiauiensis Laurentij Gebicki, quas ab eodem, dum Culmensem Ecclesiam regeret, in nostra causa, cùm à vobis eiecti essemus, accepistis, addiscite, quàm falsò affingatis, quòd nullum in Polonia Iesuitæ agnoscant Magistratum. Verùm ne vobis in reuisendis literis facessam negotium, libet pauca, si quidem luculentum huic, quam defendo, veritati, afferant testimonium, & vehementer vestram peruicaciam redarguant, ex ijsdem litteris isthic attexere. *Quàm verò (verba sunt Epistolæ) vobis non consentiatis, videte. Noluisse vos cum Societate Iure contendere scribitis, quòd eam ab Ordinariorum iurisdictione esse exemptam vobis constaret. Si nullam Ordinario in eos authoritatem esse habuistis exploratum, cur tot literis, tot suffragatoribus à nobis postulauistis, vt in alias sedes illam transportaremus? Sed sistebant se illi, paratiq; erant ad obiectiones vestras respondere, & si qua re vos ab ijs læsos fuisse probauissetis, ex nostra sententia vobis satisfactionem præstare. Neq; verò plus apud nos valuissent præconceptæ opiniones, vti vos sinistrè opinamini, quàm æquitas ipsa. Scimus ita illos instrui sanctissima disciplina, vt nemini nocere, prodesse studeant omnibus. Attamen vt homines, labi & errare posse, non ignoramus. Sed periniq; egissemus si ad vestras accusationes simplices & nulla probatione fultas, inauditos condemnauissemus, aut opinionem quam meritò conceptam habemus, subitò deponeremus. Neq; verò vitium est de illis benè sentire, quorum vita quotidianaq; actiones in pietatis officijs versantur. Illud potiùs extremæ cuiusdam malitiæ, ex inanibus suspitionibus, implacabilibus odijs exardescere, ac omnia dicta factaq; eorum in crimen vocare. In quo velim perpendatis Torunenses, quantum à Christiana charitate discedatis.* Hæc Illustrissimus Episcopus, quæ si Torunenses legerunt, mirum est, cur

est, cur tanto viro in aliena causa scribenti, fidem non habeant, & Iesuitas nullum in Polonia habere forum vociferentur.

Quòd si viros Ecclesiasticos, vos ipsi Ecclesiæ desertores, vt scopulum exhorrescitis, circumeincti sumus vobiscum, Prussiæ Palatinis, alijsq; Magnatibus, ex illis Commissarios à Rege impetrate, qui de atrocibus scilicet Iesuitarum in Senatum, populumq; Torunensem cognoscant iniurijs, facietis certè nobis non modò non repugnantibus; sed inidipsum etiam connitentibus. Ægrè est, vt video Torunensibus Hæreticis, Iesuitas de capite ipso coram iudicio sęculari causam non dicere; mirum tamen est ita iniquos esse in Clerum Catholicum, cùm cæteri etiam Hæretici, suos Ministros in causis personalibus, à Magistratus sæcularis iurisdictione exemptos esse velint: cuius rei non iniucundum libet afferre exemplum.

Nobilis quidam Hæreticus ante annos aliquod Costenum citatus, eò quòd de iniuria, à suo Ministro cuidam facta, iustitiam administrare nollet: respondit se eum, cùm Spiritualis & Ecclesiasticus sit iudicare non posse. Res ab omnibus risu excepta: iubetur ergo Minister literas Officij Ecclesiastici exhibere, quas quia non adferret, nec adferre posset, (cùm vt sunt omnes Ministri Hæreticorum, à sibi similibus, laici à laicis, potestatem diuina tractandi, quam nec illi conferre possunt, accipiant) pro sæculari est habitus, & decreto Iudicis mulctatus, à quo tamen ad Tribunal appellatum fuit. Agite vos Torunenses cum Iesuitis, in vtroq; foro eos paratos semper inuenietis, & criminationibus finem tandem aliquando imponite.

CAPVT SECVNDVM.

Nunquàm solicitauimus in Comitijs Regni, Senatores aut Nuncios è prima Nobilitate, vt opprimerent Lutheranos, Caluinistas & Arianos.

Alterum erat, quòd vt iniquum in Torunensibus reprehendit Orator noster, quòd Iesuitis, ne apellatis quidem, publicam contra eos accusationem, in Comitijs instituerint, vbi præsente accusatore, absente verò reo, & illi fuit licitum, quicquid tandem voluit dicere, & huic non erat integrum sese defendere. Quod quàm iniquum sit nemo non videt. Sed Patronus Torunensium ita suos defendit Torunenses. *Quid tum inquit dum modo vera sint ea quæ dicerentur.* Falsa ergo tantum, & calumniæ reddunt iniustam

 accusa-

accuſationem? O Sapientiſsimum Iuriſconſultum. O breuem ſed inſignem legem accuſandi. Perbelle quadrat illud huic Doctori: Quàm modicè, ſcit in codicè, multò minùs in digeſtis. Quid ſi Domini Torunenſes, hoc pacto Ieſuitæ vobiſcum procederent, an non cœlum & terram miſceretis? Addit præterea Patronus Torunenſium: *nullam Ieſuitis fieri iniuriam, ſiquidem eorum accuſentur, quæ de illis totus prædicet orbis Chriſtianus.* Egregiè ſanè. quid ergo Torunenſes oleum & operam perdere vos neceſſum erat in referendis illis, ad Nobilitatem Polonam de Ieſuitis, quæ de illis totus mundus prędicaret? quanquam & hoc ingens ſit paradoxon. Quid enim? an totus orbis ſcit Ieſuitas in æde quæ olim Parochi Torunenſis erat, habitare, in quo vobis iniuriam factam eſſe affirmaſtis? Quæ tam velox fama in extremas orbis partes hunc detulit rumorem, Ieſuitas Torunij contra veſtram voluntatem, publicas in Reipub. Polonæ vtilitatem, aperuiſſe Scholas? Pulpitum templi Parochialis S. Ioanni dicati, ad legem Diuinam multitudini promulgandam, aſcendiſſe? certè tantùm abeſt vt id toti mundo ſit notum, vt etiam à multis Poloniæ acolis ignoretur. Sed eſto nouerit id totus mundus, quid vitij, Ieſuitas Torunij totius Reipub. voluntate, Scholas aperuiſſe, pulpitum aſſenſu Regis, authoritate Epiſcopi, aſcendiſse?

Tertium eſt, quo æquitatem accuſationis contra nos factæ à Torunenſibus, Anonymus oſtendit: *quia inquit idem Ieſuitæ faciunt Nam & in Comitijs Regni more canum angulos obambulant, Senatores ac quoſuis è prima Nobilitate, ad noſtris Euangelicis nocendum ſollicitantes, & grauiſsima de Reipub. incolumitate negocia, ſuis leuibus querimonijs interturbantes.* Nimis multa Anonymus in hoc ſuum extremum congerit argumentum, ita vt etiam longiori reſponſione egeant. Nam quod inprimis dicit, idem Ieſuitas facere, hoc eſt, Torunenſes ijs non appellatis ad iudicia deferre, id ab omni non dico veritate, ſed etiam veritatis imagine, & probalitate eſt alienum, vt nihil improbabilius fingi poſſit. Quæ enim Torunenſes in Polonia Iudicia, oſtendere poteſtis, in quibus aliquid contra vos Ieſuitæ, inſcijs vobis & abſentibus egerint? An non illi Tragediæ de domo empta à nobis, & à vobis vi & artibus occupata, vbiq; interfuiſtis, & multa egiſtis? An nō illa Cōſtitutio de Scholis aperiēdis, vobis præſētibus & ſciētibus in Comitijs Regni condita eſt, quam vos à nobis eſſe ſcriptam fruſtra comminiſcimini? At quid iniuriarum hac in re, quamuis ita eſſet, contra vos commiſſum ſentitis? Num & vos, ſi quam Conſtitutionem aut Priuilegium in gratiam veſtri, à Sereniſſimo Rege illiuſq;

Senatu

Senatu factum intelligeretis, illud quàm accommodatiſſimè ad veſtram voluntatem, veſtro ſtylo exaratum cuperetis? Quid ergo quod vobis optatis, id in nobis reprehenditis? Addo illam Conſtitutionem, non in noſtrum commodum, ſed totius Regni fuiſſe factam, quod cùm vniuerſa Polonia, tum maximè Diſtrictus Cuiauienſis, & Dobrzynenſis, omneſq; boni, præter vos ſolos agnoſcunt.

Venio ad ſecundam huius, non tam probationis quàm calumniæ & criminationis partem, in qua nos *more canum in comitijs Regni angulos oberrare calumniatur aduerſarius.* Viderint Torunenſes quibus hominibus & qua fronte id dicant. Ego iniuriam & calumnias pati & non facere, cum noſtra Societate aſſuetus, id prætereo: in hoc monitos relinquens Torunenſes, vt quod ipſi tanto calumniatori, ſi fortè eos laceſſeret, reſponderent; idem ſibi à nobis pro tam inſigni contumelia reſponderi oportere, niſi Chriſtianæ caritati, & Religioſæ modeſtiæ obtemperaremus, arbitrentur. Illud tamen tacere non poſſum, vnde Torunenſes tantæ calumniæ anſam arripuêre. Noſtros Varſauiæ per tempus Comitiorum, ſi quas Principum ac Nobilitatis inuiſunt aulas, id non ad præocupandos Senatorum animos, aut ad nocendum Euangelicis negotij ſuſcipere, ſed vel vt eleemoſynas ex quibus noſtra profeſſorum Domus Varſauienſis viuit, cùm nullos reditus quibus ſuſtentetur habeat, per eam occaſionem conquirant, licet & extra tempus Comitiorum pro ratione ſuæ profeſſionis mendicent: vel aliorum Collegiorum negotia, quæ nullo alio tempore commodiùs pertractari poſſunt, quàm cùm tota Nobilitas, aliàs dilapſa congregatur, procurent. Quis itaq; non exaſperati & maledici animi eſſe dixerit, ex tam manifeſtis factis, tam oculta ſcelera in alios ſuſpicari? Verùm nolo, ne hæc mea nimia in reſpondendo modeſtia, ſit in præiudicium innocentiæ noſtræ Societatis: vrgeo igitur proferant quinam illi Ieſuitæ fuerint, *qui angulos & quos more canum oberrarint.* in quibus Comitijs, quos Senatores quos Nuncios ſollicitarint? Sed adierint Senatores Ieſuitæ, viſitârint Nuntios; at num hos in angulis Varſauiæ habitare, Torunenſes, confingere audetis, qui in oculis omnium prima palatia inhabitant? pudet me veſtri quod hiſce commentis vos omnibus ridendos propinetis. Deinde quid nobis, quòd āgulos more canū obābulemus, vitio vertitis; cùm vos idipſum maximè facere veſter Patronus ingenuè fateatur. Nollem equidem ego tam grauem calumniæ maculam vobis Torunenſes aſpergere, ſed eam à veſtro Patrono acceptate. Hic enim crimen ab Oratore noſtro, vobis obiectum refellendo, re-

ſpondet

spondet, idem etiam à Iesuitis committi, quod non aliud esse vult, quàm more canum in comitijs angulos obambulare. Videte ergo qualem Patronum elegeretis, qui eam vobis contumeliæ ac infamiæ notam inussit, quam vester aduersarius vobis inurere nunquam fuisset ausus.

Iam quod addunt Iesuitas, nihil magis in votis habere, & in Comitijs Regni quærere, quàm vt Euangelicis noceant, eosq; opprimant, adeo vt nec resistere, nec suam innocentiam defendere queant, ab instituto nostro & consuetudine est alienissimum; hoc sanè nunquam inficias iuero, nobis id esse propositum, non Euangelicos opprimere, aut Regno pellere, sed Christiana charitate complecti, & ab eorum animis errores, omnes quibus tenentur euellere. Deponite igitur metum, vel potius odium, quo instigati, vbiuis & quouis tempore nobis nocendo, nos vobis nocere querimini.

Illud præterea velim vobiscum perpendatis, & à triginta retrò annis omnia Comitia animo repetatis, an in Polonia auditum fuerit, non dico Iesuitas, sed Catholicos aliqua in Comitijs ad nocendum Euangelicis proposuisse, aut criminationibus ad opprimendos eosdem Comitia interturbasse. Quin potiùs nulla fere ab eo tempore Comitia, nullos conuentus in Polonia factos inuenietis, in quibus Euangelici Catholicis & Ecclesiæ nocere, Confœderationem iniuriosam, hoc est nō libertatē credendi, sed libertatem Ecclesias Catholicas occupandi, occupatas iam per vim Catholicis non restituendi, vrgere non intenderint, quod ita clarum, vt nulla egeat probatione. aliqua tamen ex occasione infra de hoc dicam.

Ad illud porrò extremum quod obijciunt, Iesuitas per suos vt Anonymus dicit, *emissarios in Comitijs omnia miscere, suis leuissimis quærimonijs grauissima Regni negotia interturbare*, ita respondeo, Torunēses id tātū dicere & nō probare, At ego cōtra vos tot testes produceere possum, quot ipse Senatores Ecclesiasticos & Seculares, quot Nuntios de vobis prædicantes non semel audiui, vos cum vestri similibus hoc agere, hoc moliri, vt maximè cum Rempub. laborare intelligitis, cum potissimum in Comitijs Regni per vestros Emissarios Comitia turbetis, vestra in præiudicium iurium Ecclesiasticorum promoueatis & stabiliatis. Et hoc est quod Orator obijcit vobis: Hoc est de quo queruntur Catholici, Senatores in Comitijs iam fastidiunt, quodq; videns Rex noster Serenissimus dolet ac ingemiscit. Quid enim ille ipse Proszouiensis & Srzedensis Conuentus Nobilitatis, cum vestris querelis habuit, ad quem vos alia omnia

mnia agentem, cum vestris obsoletis fabellis, molesti interpellatores, venistis.

Quod si necdum id probabile fortasse vobis videatur, vel ex ipsis vestris statutis, quæ Anno 1595. in Synodo vestra Torunensi condidistis, vos conuincam. Legite Canonem sextum, an non in eo disertis verbis statuistis, vt vestri superintendentes, omnibus intersint Comitijs, siue per se siue per suos procuratores, quo possint quibusdam negotijs prospicere, hoc est, vt quidam Anonymus, qui absurda horum vestrorum Canonum in lucem edidit, interpretatur: Religionem Catholicam & Rempub. perturbatis Comitijs pessundare, Bene ne an malè explicauerit, non disputo: illud tantum addo: Mirari vos non debere, quòd ita ab illo vester Canon explicatur, cùm verba Patris Edmundi Campiani, quibus nostræ Societatis homines significauit, sanctum inijsse fædus in salutem Anglorum, Patronus vester, in salutem; hoc est in perniciem & Regni euersionem, fuerit interpretatus. Videte ergo Torunenses, quomodo aspersam vobis labem expurgetis. Videte quomodo non iniustè egeritis, contra nos accusationem publicam instituentes, nobis non apellatis. Sed vos iam video pro more vestro, hoc tantùm curare, vt cùm coràm nobiscum agere non audeatis, in nos absentes inuehamini. Quod ne temere dictum à me putetis, placuit hoc loco, quoddam factum vestrum, huius veritatis insigne argumentum apponere.

Cùm Rectorem Collegij Torunensis Anno 1612 agerem, Nobilitas Torunio circumquaq; adiacens, præsertim Cuiauiensis, & Dobrzynensis, pertæsa filiolos suos, proximo studiorum emporio priuatos, alias ciuitates remotiores adire: vrgere modis omnibus, aures meas precibus fatigare, vt ludum literarium frequentandum aperirem, institit: hoc sæpius inculcans, quod in publicis Regni Comitijs statutum sancitumq; est, illud securè & citra omne periculum, & effectum suum sortiri, & à me perfici posse. Ego non inscius, ibi esse multam salutem, vbi multa forent consilia, & omnem substantiam festinatam, minui citò; diligenti rationis trutina vnà cum domesticis rem ponderans, ad Antistitem Culmensem Mathiam à Konopat Konopacki cucurri, & totius Nobilitatis supplicatione quotidiana palam facta, viri prudentissimi consilium quid facto opus esset expetij. Tum ille animum addere, & reluctantem mentem exstimulare, quâ suasionibus, quâ monitis orare, obsecrare, obtestari, vt postes Musis perenniter dedicatos reserarem, & publicas lectiones prælegi curarem. Ita negotio cum Reuerendissimo

B Cul

Cul: satis agitato, & cum aliquot Palatinis, etiam Prussiæ, cæterisq; viris primarijs pertractato, insuper edicti Comitiorum authoritate fulto, & abundè obfirmato, cardinibus Scholarum recludendis, animum simul & manum admoui. At quas tum procellas suscitaui? Feruebat Burgrabius cum Consulibus odio contra nos: ruunt ergo omnes in commune, & factum nostrum indignati, conuitia iactando, principijs seriò obsistendum inclamant. Et actutum Secretarius Ciuitatis ad me ire iubetur, tùm precibus, tùm minitationibus egregiè instructus. Excepi hominem perorantem, & tùm melle conditam, tùm minis obarmatam oratiunculam flocci æstimans, re infecta dimisi. Quid deinde? audite ius fasq; Torunensium. Clam malo dolo, malis artibus vsi Torunenses, Legatos ex Senatu & plebe, cum suo Secretario, magno scilicet buccinatore, mittunt Lubauiam ad Reuerendissimum Culmensem. Huc vbi delati, Secretarius vna hora tantam congeriem calumniarum effutiuit, tot portenta probrorum & chymæras contumeliarum euomuit, vt quidquid pestiferum cerebrum Arnoldi, quidquid Erynale caput Misleni ementiri potuit, id ille vnus mendaciloquus Orator complexus fuerit. Iamq; ille colophonem declamatiunculæ monstrosæ imponebat, & ecce significatur Reuerendissimo, Patres Societatis (is erat P. Ioannes vberus, eo à me non ignaro, quid agerét Torunenses, respondendi causa missus) prę foribus adesse. Tum Reuerendissimus. En opportunè inquit, qui obiecta diluat, venit. Illi audito nomine nostro, colorem faciei immutare, simulq; admissa pallescere culpa, simul tergiuersari, ac certamina detrectare cæperunt; Nihilq; sibi esse nobiscum negocij, quippe qui contra Patres Torunenses nihil haberent, sunt protestati. Verũ Pater, Societatis nomini notã inustam inique, tot aceruis mendaciorũ congestis, ingemiscens, ad confutandas illas omnes calumnias é vestigio, vrget, hanc sibi orationem in scriptis tradi, Reuerendissimũq; obsecrat, id ipse pro sua authoritate vt efficiat. Sed nulla ratione hoc eis persuaderi potuit (licet Reuerendissimus etiam abeundi potestatem, é suo Castro illis denegare velle videretur, ni facerent) asserentibus seabsq; Senatus consensu, id neutiquam facturos: qui non nisi verbis, & non scripto hoc negotium expediendum illis in mandato dedisset. *Nec est,* aiebant, *quòd offendantur Patres, quæcunq; enim perorando diximus, non in nostris capitibus fabricata; sed in libris pridem diuulgata huc attulimus.* (quod est Torunensibus vsitatissimum: Nam & in hoc ipso, quem refello, libello, nihil noui attulerunt, nec Ora-

torem

torem nostrum, cuius orationem refutandam susceperunt, vt maximè optabant, refutarunt; sed eum duntaxat figmentis veteribus & calumnijs ex alienis libris petitis, & iam toties luculentissimè refutatis, ne nihil agere viderentur, impleuerunt.) *Nam & quid illis qui Torunij degunt vitio demus, non habemus, nisi quòd ex illorum Scholis periculum Ciuitati creari pertimescamus.* Ad hæc cùm illis Pater modestè respondisset, nec licere ex libris famosis, accusationem in innocentes coram tali Senatore instituere docuisset, & Reuerendissimus seuerè eos monuisset, vt Patres, quorum inculpatam testarentur vitam, diligerent. Constitutionem porrò ab vniuersis Ordinibus semel latã, abrogatum iri, nullatenus sibi persuaderẽt, ab se illos dimisit. Reliquis abeuntibus, Secretarius Reuerendissimo supplex factus, petijt ne dicta sua aduerso acciperet animo; se coactum Senatus parere mandatis: nihil de suo prolocutum. Hæc ego omnia non tam ex ore Patris, vel Prælatorum, qui inibi aderant, quàm ex literis Illustrissimi Episcopi ad me tunc scriptis habui. Ita Torunenses lucem perosi, absentibus Iesuitis, omnia quidem dicere, iniurias prætendere; coràm conscij illorum æquitatis, ne hiscere asueuerunt.

CAPVT TERTIVM.

Per summam calumniam, Militi seditioso in opprimenda Ciuitate Torunensi comparamur.

Illud quoq; indignè, inter cætera fuisse factum à Torunensibus, docuit Orator noster, quòd in Comitijs Srzedensibus, & proszouien. tempus Reipub. negotijs deputatum, potissimum verò malis quibusdam prægnantibus auertendis consecratum, quæ perniciem non priuatorum duntaxat facultatibus pollicebantur, sed vniuerso Regno certum, ni maturè illis occurreretur, minabantur exitium, intempestiuè suis narrationibus extraxerunt: eaq; illi Conuentui obtruserunt, quæ ab eo planè fuêre aliena. Hîc Anonymus quia suos Torunenses, in tam manifesto peccato, non potest excusare, eorum tamen factum, sic eleuare conatur. Atq; vt omnes intelligant, nihilò ipsum prudentiorem & fideliorem esse Oratorem, quàm hactenus fuerit Argumentator, libuit hîc aliquam orationis eius partem, quam ipse grauiter per Apostrophen ad suos conuertit Torunenses, apponere. *Non obscurum, inquit ille, fuit vobis Torunenses, Conuentus ob solutionem Confœderato militi faciendam, à S. R. M.*

 indi-

indictos fuisse. Grauis sanè Oratio; sed vt initio parturiunt montes, ita in extremo nascetur ridiculus mus. Benè dicit Anonymus non obscurum fuisse Torunensibus, quid ad illum Conuentum Nobilitatem Polonam exciuisset, quod adeò notum clarumq; toti Regno fuit, vt nisi hoc Torunenses viderent, soli planè in tanta luce cæcutirent. Porrò cùm res sanè alienissimas, illis Regni difficilibus negotijs intruserunt, liquet vel Anonimum falsò eis, eam lucem, quám non viderunt, affingere: vel certè tantùm lumen eorum lippientibus oculis tenebras offudisse, vt iam obscurum esset ijs, quid illum Nobilitatis Conuentum coëgerit. *Verùm, addit Anonymus, Iesuitarum Practicas artes, & de facto susceptos in turbanda Ciuitate vestra progressus, non inferiores esse Confœderatorum pressuris, paremq; horum esse conditionem indicastis.* En ridiculum illum murem, è tàm magnificis natum principijs. Quis vnquam eò impudentiæ Torunenses deuenire posse sperasset, vt nostram Societatem quàm vniuersa Polonia, vt sibi vtilem, summo semper complexa est studio, eiusq; salutares promouit conatus; eam seditioso militi, qui in caput patriæ, vt ipsi sentiunt, coniurauit, parem iudicarent. Sed esto fuerint hæc vera, licet falsissima sint, vt infra ostendam, Num ideo vobis licuit aliud quidpiam illi Conuentui obtrudere, præter ea, quorum gratia fuit institutus? Nunquid deerant plurima alia, eaq; grauissima Reipub afflictæ negotia, illi quod tunc maximè vrgebat, persoluendo militari stipendio, minime inferiora? de quibus tamen, nec Rex, nec Senatus, ne Nobilitas verbum fieri vllum in illo Conuentu voluerunt, vt quám primùm ab hac vnica Rempub: eriperent calamitate, ereptamq; in pristinam assererent libertatem & quietem; quæ etiam præcipuè res Senatum ad Generalia Comitia coëgerat. Sed vos, nihil aliud per eam ocasionem quæsistis, quám vt eam, quam exorsi eratis pridem, telam contra Iesuitas, tandem ad finem perduceretis, & quod quieta Repub: assequi non poteratis, turbata saltem inueniretis, more piscatorum, qui turbida magis, quám limpida torrentis aqua, pisces suis retibus comprehendunt.

Sed redeo ad propositum Patroni Torunensium. Duabus ille rationibus conatur quidem, sed nihil facit; probare Iesuitas pares esse Confœderatis Militibus. *Primo, quia inquit ex fonte Confœderatorum Militum ebullierunt. Secundo. quia ijsdem quibus & illi tenentur legibus; nisi quod Confœderati vi, & aperto Marte in alienas opes inuolent; at Iesuitæ fraudibus & dolis easdem diripiant.* Sed hoc qui vnquam de nobis præter Torunenses, & alios Hæreticos aliquos dixerunt? Atq; vt & ipsi

ipsi eandem cum alijs de nobis inbibant opinionem, eant & legant Historiam, quæ vitam Fundatoris nostri B. Ignatij de Loiolla continet, militis quidem, & Ducis Militum; at non eorum qui tristes, patrioq; tinctos sanguine mucrones, in viscera suæ ipsorum dolentis patriæ acuerint: Sed qui pro incolumitate eiusdem, strictis ensibus obuiam ierint, & ne illa occumberet, vitam sanguinemq; suum fuderint: Qui tamen sæculi militiam in spiritualem commutauit, & posito clypeo galeaq;, arma contra spiritualia nequitiæ, inuisibilesq; potestates feruidus capessiuit, exercitum collegit, eumq; vt fidelis Imperator Regis sui, cui se probauit, signis centuriarum, in omnes orbis partes dispertiuit: per quem veritatis Euangelicæ lumen apud infideles proferret, Hæreseon Labyrinthos apud incredulos euerteret, scelerum chymæras apud fideles expugnaret, omnes ad veritatis amorem, sceleris odium impelleret. Eant & legant eiusdem fortissimi Imperatoris, Sanctissimi Fundatoris nostri, leges & statuta, quibus ille hanc Societatem, suumq; exercitum vinxit, & stabiliuit. Videant & eam viuendi rationem, quam tot Sanctissimi Antistites Romani, Christi Vicarij, vniuersumq; Concilium Tridentinū S. R. Ecclesiæ, vt sanctam & in qua digitus DEI esset, vnanimi assensu approbarunt: tot deinde Principes vsu ipso, Reipub. quisq; suæ, fructuosam esse experti sunt & testati, quòd in suis ditionibus domicilia nostrorum hominū excitarūt: excitarūt autem vniuersi, si eos excipias, non qui Iesuitas propriè; sed Religionē omnem Catholicam exosam habuerunt. Henricus certè Galliæ Rex, acerrimo & perspicacissimo Vir iudicio, licet sinistris aliquando de nobis opinionibus imbutus, vbi tamen res nostras penitius inspexisset, dictitare solitus est. *Societatem nostram à nemine vituperari posse, nisi qui non noßet, aut inuideret*, eamq; in omnē postea vitam ita cōplexus est, vt nō modo quam plurima Societatis Collegia in Gallijs stabiliri curaret, sed & cor suum tanquam amoris domicilium, & summum erga nos beneuolentiæ argumentū post mortē, Flexiensi Collegio nobis constructo dari voluerit, & ibidem ex vniuersa Nobilitate Gallica, iuuentutis Seminarium fundari, cuius cura omnis & institutio penes nos esset. Nec suo Regno contentus, etiam ad Constantinopolim nostros commorari, & in diuersissimum orbem ad Canadas, & nouam Franciam cum suis colonijs deportari curauit, ne latiùs nomen Gallicum, quàm Societas nostra propagaretur. Taceo reliquorum Principum Christianorum studia in hac Societate promouenda, Imperatorum, Ferdinandi, Rudolphi, Ma-

thiæ, Regum Hiſpaniæ tam in Hiſpania ipſa, quàm vtriſq; Indijs, & quod vos potiſſimum malè habet, trium iam Regum noſtrorum Regniq; vniuerſi, propenſiſſimas in nos voluntates; vt mirum, ſit, vos & aliquos gregarios veſtros Euangelicos, ita ſolos ſapere, vt non ſolùm publico huius Regni; ſed totius orbis, Chriſtiani iudicio audeatis refragari. Nunc verò, eſt ne operæ pretiũ vt putidam illam calumniam confutem, quâ nos malis artibus in alienas poſſeſſiones graſſari, hoc loco in genere aſſeueratis? an æquius fortaſſe fuerit, nos de vobis in hoc genere conqueri: qui domum pro qua pretium numerauimus inuaſiſtis, decennio poſſediſtis, fructus qui ex ea percipi poterant, in rem veſtram, nullo iure, ſumma audacia conuertiſtis, & cùm hæc omnia palàm feceritis, audetis tamen adhuc negare, & in nos omnem culpam transferre, ſed quám rectè diſpiciamus.

Ait ergo Patronus veſter; domum illam non integram à nobis perſolutam, ſed mediam *emptionis iure, mediam donationis acquiſitam; quæ quia inofficioſa erat; cùm præteriti fuerint cognati, & contra ius Culmen: oportuiſſe nos aſſeuerat, litem ingredi cum hæredibus, non cum Torunenſibus qui ſicut non erant poſſeſſores illius domus, ſic nec fructus ex ea percipiebant.* Quid eſt quod audio! tune dicere audes, domum hanc non integro pretio à nobis emptam? videte incredibilem impudentiam: quæ miſerum hunc, nullam veritatis rationem habere coegit, vt Torunenſium hoſtili contra nos obſecundaret voluntati. Conſuluiſſes impudens homo, tabulas publicas, Chyrographorum cautiones, pacti & conuenti formas: priuſquam hanc vanam futilemq; narrationem exorſus fuiſſes. Inſpexiſſes etiam Regium decretum, cuius authoritate, conuicti Torunenſes, & domum nobis reſtituerunt, & nos veros ac legitimos eius poſſeſſores pronuntiarunt: tu temere hanc de nobis fabulam inaniterq; effutiuiſti. *Ius etiam Culmenſe violatum queritur!* O iuriſperitum conſultiſſimum; Nihil de hoc imminuto iure, Sereniſſimi Regis Maieſtas; nihil Aſſeſſorum prudentiſſimorum authoritas: ille ſolus inuentus eſt, qui hanc iniuſtitiam deprehendit: quaſi verò iudices patriæ ſtudioſiſſimi, & Rex vigilantiſſimus, cuius eſt iura Regno dare, eaq; interpretari, & ne quid detrimenti patiantur, diligenter videre; ſuo muneri indormierint, niſi ipſe ſuis conuitijs illos excitârit.

Addo & illud præterea Torunenſes, nunquid cùm hæc ipſa cauſa coram Sereniſſimo Rege ageretur, veſtram hanc querelam, veſtrum hoc ius Culmenſe non expoſuiſtis? qui tamen eorum, quæ vobis

reſponſa

responsa, & in Decreto Regio expressa sunt, quomodo illud ius, explicatum, quomodo vestra commenta, potius quam argumenta confutata non recordamini? Quàm verò cohærent inter se illa, quæ iste narrat, cùm litem illam nos ingressos cum hæredibus, non cum Torunensibus pronunciat, iudicare. An enim hæredes isti, non fuerunt Torunenses? Et si non Torunenses, cur ergo vos illas ædes, iure Retractus Culmensi ad Torunenses pertinere, non ad nos, coram Regio iudicio affirmastis, vrsistis, & vestram iniquitatem, ob non extraditam nobis domum, defendistis. Torunenses igitur possessores illius fuerunt, ac proinde & fructus ex illa perceperunt; & quomodo non perceperunt? quibus pecuniam inquilinus reddebat. Cum enim domum illam nobis Regio Decreto adiudicatam, ab iniustis possessoribus repetiuimus: accurrit inquilinus, orat, obsecrat; ne se inde abire iubeamus: quamobrem? ipsum dicere putatote: Habebat ædes illas à Torunensibus, certo precio ad certum tempus conductas. Conduxit inquilinus apud Torunenses: locarant ergo Torunenses: quid igitur dicunt? *Nec ex ea fructus percipiebant*: at quis credet hoc: vt is qui fundum locat, nullum ex eo fructum capiat? licet fortasse id etiam accidere potuit. Nam vt est apud Comicum: Malè parta, malè dilabuntur. Intelligat ergo nunc Anonymus, an non ipse Hæretico excæcatus odio, contra apertam veritatem Oratori obijciat: Iesuitas excæcatos odio, contra apertam veritatem Torunensibus imputare, quasi domus huius controuersæ possessores fuerint (quòd verissimum esse ostensum est:) & fructus illius perceperint; quo nihil manifestius.

Et ne querimoniam illam, de rebus alienis iniustè à vobis possessis, solũ Iesuitarũ esse putetis. An non multis annis, Sacræ Torunensis Monasterij virgines, vobiscum de bonis immobilibus, illi cænobio ablatis litigârunt? quæ vos tandem, post multas tergiuersationes, & annos, decreto & Regis, & tribunalis, non vno adacti, tanquam malæ fidei possessores, nolentes, volentes, restituistis. Decem millia florenorum monasterio illi persoluistis, & nedum vos Priuilegiorum ad Monasterium illud & hospitale spectantium, iniustæ detentionis crimine liberastis, salua actione Monasterio, si aliqua occasio se adhuc obtulerit relicta. An non & Patres Franciscani, queruntur de vobis, quòd eorum possessiones, templum videlicet Deiparæ consecratum, Monasterium, & duo prædia, eripueritis, erepta in vestros vsus Sacrilegos, per summum nefas conuerteritis? Eadem est querela & Antistitum Culmensium de templis non paucis Torunij; & extra

& extra à vobis ademptis. Queruntur ijdem, aliquot etiam lapideas, templo S. Ioannis vicinas, quæ olim Sacerdotum illius Ecclesiæ erant domicilia, á vobis occupatas, vestræq; habitationi attributas.

Ab hac itaq; labe, & ab his tam manifestis rapinis, imo Sacrilegijs, quibus tenemini, priùs vos purgate, & tum demum Iesuitas iniustè alienorum bonorum possessionis, liberé poteritis arguere: sunt culpanda etenim, quæ non commiseris ipse, ne dum alium peccati insimulas, ipse eiusdem, atque etiam grauioris sceleris, reus tenearis. Sed neq; fortasse mirum esset, si nos aliquam possessionem ad vos aliquando spectantem occuparemus; cùm vos nostras eripueritis: veruntamem tantum abest, vt nos vestras aut alienas facultates malis artibus, inuaserimus; vt etiam nostras, quod non huic solùm Regno; sed toti mundo notum est, relinquamus.

CAPVT QVARTVM.

Iesuitæ Torunij degentes, sunt veri Cooperarij Plebani Torunensis.

QVia nimis leniter se cum Iesuitis egisse, sibi visus est Patronus Torunensium, cùm eos militi confæderato pares fecit in perturbanda & premenda ciuitate Torunensi: vt suis gratificetur Torunensibus, & quàm cari acceptique simus apud Hæreticos, manifestum faceret: adiecit & hoc ad cumulum calumniarum, vt pronuntiaret Iesuitas etiam deterioris esse conditionis (vel vt ille elegantiùs) *deterioris esse frontis quàm fuissent Milites Confæderati.* Cur ita? *Quia gloriantur*, inquit, *se à Parocho Torunensi pro cooperarijs adscitos esse.* Magnum verò & inexpiabile scelus. Ergòne ideo Iesuitæ sunt Confæderatis deteriores, quia se à Parocho Torunensi pro Cooperarijs adscitos glorientur? Quàm rectiùs & ad propositum suum accomodatiùs dixisset Anonymus, si Iesuitas vltro, nec rogatos, aut per vim in hoc officium se intrusisse, fuisset mentitus. Sed sicut hoc contra veritatem finxisset, ita & illud est commentus. Cùm enim Iesuitas sese iactare, quòd eos Parochus Torunensis in Cooperarios adsciuerit, docet; quis, vbi, quando, apud quos, ea de re fuisset gloriatus, è tantò numero proferat vel vnum. Sed cùm id præstare, licet in re adeo leui, nimis arduum sit pro Anonymo, ad calumnias, commune Hæreticorum omnium perfugium conuertitur, & Parochum Torunensem, quem ille benefactorem nostrum appellat,

pellat, à nobis ex ædibus Parochialibus exturbatũ, & in perpetuum possessione illa exclusum asseuerat. O miserum Plebanum Torunensem, qui tantam iniuriam accepit à Iesuitis. O infælicem, cuius iniurias aliquot, Antistites Culmenses, à tanto tempore viderunt, & tamen siluerunt; viderunt & tot Catholici, nec tamen indoluerunt, aut vindicârunt. Soli Torunenses, & hi quidem Hæretici, afflicti Plebani calamitatem miserati, pro eius iniurijs verba fecerunt. O insignem Torunensium pietatem? O nouum & admirandum studium Hæreticorum hominum, erga Parochum Catholicum. O incredibilem tuendi eius iuris, ac per vim ereptæ possessionis vindicandæ, curam ac solicitudinem. Sed num ille ad vos, vestrumq; præsidium aliquando confugit? Num opem vestram implorauit?

Nollem hanc, iam toties ab alijs recoctam cramben, iterum atq; iterum cum Torunensibus recoquere, tàm manifestum eorum cõmentum refellendo, Iesuitas dolo fraudeq; in officium, ædemq; Parochi Torunensis irrepsisse. Sed quia ipsi, hoc adeò odiosum epulum, illud toties edendo, minimé nauseant: vincam & ego, licet nauseabundi stomachi mei fastidium, & ex proposito separato capite, de nostra Torunij habitatione in ædibus Parochialibus, ex consensu Parochi, & authoritate Culmensis Episcopi, cum Torunensibus disputabo: vt tandem aliquando, hanc cramben toties recoctam fastidiant. Interim verò dicant nobis, num Parochus domo, quam Torunij inhabitet careat? vnde illam habeat? An non longè ampliorem, quàm prior sua esset, & magnificentiorem ab Illustrissimo Episcopo Petro Kostka, & Venerabili Capitulo, suo assensu, in commutationem accepit?

Sed Torunenses nimis in alienis rebus curiosi, causam fortasse, cur Iesuitæ à Parocho Torunensi, pro Cooperarijs adsciti essent, requirent. In vestrum caput idipsum Torunenses quæritis: vos, vos enim huius rei causam attulistis, qui cùm bona illius Ecclesiæ, ex quibus Parochus viginti Vicarios alere potuisset, diripuistis; ille demum adactus est, vt cùm ipse cum duobus duntaxat Vicarijs, labori nullo modo sufficeret, nos tandem in partem oneris aduocaret. Qûi enim tres Sacerdotes, tantæ multitudini, qualis Torunij est, tum aduenarum, tum incolarum, nisi mille manus haberent, satisfacere possent? in pænitentium confessionibus excipiendis, infirmis, & ex hac vitia decedentibus adiuuandis, rudibus instruendis, concionibus ad populum habendis, quæ Torunij singulis Domini-

 cis & Fe-

cis & Festis diebus, ternæ é pulpito habentur. Cui tanto oneri, ipsi etiam nostræ Societatis homines, licet impigrè in eo versentur, vix pares esse possunt.

Atq; hîc Anonimus, dum de Ministerijs nostrorum, nominatim verò de Confessionibus excipiendis, fecisset mentionem, temperare sibi non potuit, quin ad contumelias, tanquam ad asylum, more suo, sese præceps conuerteret. Quid ergo affert noui? Veterem cum reliquis tundit incudem, & toties iam ab alijs decantatam cantilenam recinit. Dicit, *ancillas Ciuium Torunensium, nostrorum Confessiones vt plurimùm auersari.* Quid ita? *Quia*, inquit? *conqueruntur multos sibi scrupulos inyci, in peccata occulta, & ne cogitata quidem, minùs pudicè & verecundè ab ijs inquiri.* Phui, quid tibi cum ancillis Anonyme, vt earum patrocinium apud Senatum amplissimum & Equites Polonos suscipias. Tuam sanè hanc ancillarum defensionem, inter prima capita tuæ contra nos actionis positam, quisquis leget, mira de te, ancillarum patrono, cogitare illum necesse erit. Vnde huic homini, tanta cum ancillis familiaritas? Vnde ancillis cum homine hoc, tam secura confidentia? Siccine res suæ cõscientiæ secretas, adeò familiariter, cum hoc pudico viro communicant! Tacuisses ista satiùs Anonyme, ac tuæ bonæ existimationis rationem habuisses. Miretur verò iam vnusquisq; ; quòd talia in eos homines, quorum integritate nihil mundo notius est, ex ore pleno impuritatis, impudentissimè effutieris. Neq; ego hanc tam insignem calumniam, pluribus hîc confutare statui. Siquidem illa à tot grauissimis ac integerrimis viris est confutata, vt si aliqua ex ijs vellem excerpere, bonam huius libelli partem implerem. An non mendacissimum illud commentum, de stupro ac nece Virgini illata à Iesuitis Monachiensibus in Bauaria, Serennissimi Ducis Imperio Solenni diplomate detectum,, & dissipatum est? An non & illud impudentissimum mendacium de Iesuitis, mandato Serennissimi Regis Stephani, infami supplicio Cracouiæ in Polonia, ob enormia facinora destinatis, eiusdem Serenissimi Regis publicis literis ac sigillo corruit? Quid ergo Torunenses eundem semper trahunt funem? Cur nos ijsdem incessere non desistunt calumnijs? Cur Iesuitas, secundum normam speculi erecti à Cardinali Ditristain, in Confessionibus audiendis procedere calumniantur? quem etiam librum adeò impudicum & infamem, Iesuitis authoribus lucem aspexisse, in illo suo infando de Iesuitis è Regno Poloniæ eijciendis Consilio, Torunij impresso, affirmare non erubescunt. Cur ad hæc mendacia & calumni-

calumnias, tot tam luculentas Virorum Illustrium responsiones non legunt, Ad. R. D. Ziemecki Archidiaconi Pczewiensis, & Ad. R. D. Cichocki Parochi Sendomiriensis, ipsiusq; Illustrissimi Cardinalis á Ditristein? cuius etiam toti mundo notæ integritati, impudicus hîc tenebrio, tantam obscœnitatis notam inurere non veretur. Eant ergo Torunenses, & ad suas calumnias & crimina, responsiones ac refutationes videant: ijsq; lectis, vel responsiones, si eis non acquiescunt, refellant; vel si refellere non possunt, sileant, & eandem tundere incudem, tandem aliquando desistant; vel certè noua, quæ nobis obijciant, crimina comminiscantur. Sed difficile est lupum aratro iungere, & Torunenses ac reliquos Hæreticos, á maledicendi consuetudine abducere: quibus Sollenne ac pené innatum est, calumnias, licet vel millies sint refutatæ, iterum atq; iterum recudere, fabellas de Iesuitis sparsas semper in ore habere: quòd cædis Henrici Regis Galliæ sint authores, quòd quemcunque Tyrannum licere occidi doceant, quod Monarchiam persuadeant &c. quæ tamen nunquam probant.

Atq; extrema huius capitis parte, committere non possum, quin pauca de criminibus obiectis, verba faciam. Atq; illud inprimis quòd de scrupulis inijciendis dicit Anonymus, nescio an improbitatem magis Hæreticorum prodat, qui dum modo quis non Sacrilegus, non homicida, non fur existat, securos esse iubent: an verò nostram pietatem commendet, qui etiam in rebus paruis timorem Dei fidelibus incutimus. Deinde sit ita: dicant ancillæ, quod volunt: nunquid arbitrio illarum, hac in re tam graui standum est? Constat Lutheranorum Ministros, Confessiones pænitentium, non nisi ad libitum illorum excipere.

Ad secundam porrò partem, nihil de nostra integritate tangendo, vt pote, quæ iam sit toties stabilita & defensa, respondeo: nos non nisi vel cum hominibus ijs, de peccatis quæstiones instituere, qui ob imperitiam & rudem ignorantiam, peccata sua non agnoscunt, vel ea confiteri non sciunt; vel ea duntaxat rogare, quæ Sacramenti necessitas requirat, & castæ aures patiantur. Sed de hac materia homini Hæretico, non expedit plura referre: vt tamen Hæreticorum & in criminando impudentia, & mira quædam illorum Ministris innata huius vitij familiaritas pateat, pauca admodum ad calcem huius capitis attexam. Ac inprimis nolo, breuitati studens, vt possem, tot exempla eorum, qui manifestè huius sceleris, in hoc ipso nostro Regno conuicti sunt, huc adducere, quibus plurimi libelli contra

ipsos editi sunt pleni: hoc tantum dico, vix aliquem hactenus Ministrum Hæreticum repertum fuisse, qui sine vxore aut scorto viuere potuisset: nullam prouinciam, & vix aliquam ciuitatem inuentam in qua illi essent, quam non huiuscemodi abominandis facinoribus polluissent. Qui enim alij, ex hisce stirpibus & ramusculis, fructus poterant expectari, quàm qui ex ipso, ex quo hi prognati sunt, trunco prodiere, imò si alios fructus dedissent, suam planè vicisse naturam dicendi essent. Quàm enim castus, quàm pudicus, quàm continens, primus ac præcipuus Patriarcha ac Parens omnium Prædicantium, Lutherus fuisset, egregiè Erasmus in Epistola ad Danielem Mauchium Vlmanum testatur. *Montini lepidissimis literis*, inquit; *nescio an vacet nunc respondere. Nunciabis illi rem lætam, Lutherus, quod fælix faustumq; sit, deposito Philosophi pallio, duxit vxorem, ex clara familia Borna, puellam eleganti forma, natam annos 26, sed indotatam, & quæ pridem desierat esse vestalis. Atq; vt scias auspicatas fuisse nuptias, pauculis diebus post decantatum hymenæum, noua nupta peperit.* Eundem eleganter depinxit & Iustus Baronius in suo opere de Præscriptionibus, *Lutherus*, inquit, *heri Monachus, hodie sponsus, cras maritus, perendie Pater.* Sed nec Caluinus, vt alios prætercam huic dissimilis fuit, qui vt Hieronymus Bolsecus accuratè & authenticè perscripsit, præterquam quòd moribus superbus, arrogans, ac crudelis esset, ita scortationibus ac omni spurcicici addictus erat, vt propter præposteram libidinem ac sodomiam, publicè candenti lilio inustus fuisset. Talium itaque Parentum, nil mirum est, si tales existant filij, adeò vt ipse Erasmus in Epistola ad fratres inferioris Germaniæ; eos sine vxoribus nequaquam viuere posse asseueret: & infra mirando dicat: *Quæ malum, inquit, ista salacitas? vnde tanta carnis rebellio in ijs qui se iactant agi Spiritu Christi?* Et quod longè mirabiliùs est, tanta iam in his nouis Christi Ministris, carnis rebellio, vires accepit, vt neminem è suis, licet maximè velit, sine vxore aut scorto viuere permittant: & hanc vnicam suæ doctrinæ ac professionis, tesseram esse velint, in hocque cognosci ab omnibus, quia Christi discipuli sunt: non si, vt ille voluit, se dilexerint ad inuicem; sed si absque vxoribus non maneant. Noueram ego Vilnæ Ministrum quendam Hæreticum Popowski dictum, hominem alioqui prudentem, & grauem, qui tamen deposito Monachi cucullo, Caluini doctrinam simul & Pallium induerat. Hic cùm diu sine vxore cælebs viueret, & eam accipere sibi religioni duceret; (necdum enim se votis, quibus se in Cænobio obstrinxerat solutum sentiebat) ab alijs Mini-

ſtris ſæpiùs de vxore ducenda interpellabatur. Sed dum in propoſito perſeueraret, & cælibatum amplecteretur, enimuerò Miniſtri illum de religione ſuſpectum habere cæperunt; rati cælibatum minimè ſuo inſtituto ſectæq; congruere, imò è diametro planè cum ipſa pugnare. Ergo adoriuntur hominem, & in Synodo coacta ei litem intendunt, & vt de religione ſuſpectum accuſant, à qua ſua vitæ ratio, cùm vxorem habere nolit, maximè abhorreat. O veſtram egregiam vitæ ſanctitatem. O teſſeram veſtræ religionis inſignem. O religionem pudicam, quæ pudorem ablegat, caſtitatem non nouit, continentiam execratur, libidini fræna laxat, ſcortationes amplectitur, & eos qui ſcortatores eſſe nolint, tanquam fæces & purgamenta ſui inſtituti auerſatur, & repudiat. Hæc ipſis Hæreticis teſtibus, eſt Miniſtrorum Euangelicorum continentia & caſtitas.

CAPVT QVINTVM.

Torunenſes in templa Catholicorum, nullum ius habent, neq; ab Anteceſſoribus ſuis traditum neq; ex vi eius pacis, quæ inter diſſidentes de religione eſt ſtabilita, & à Ieſuitis nunquàm improbata, conceſſum.

DVO hic ſimul agam; oſtendam inprimis Torunenſes iniquos eſſe templorum Catholicorum poſſeſſores: deinde criminationem de Confæderatione, quaſi illa à nobis continuo impugnetur, diluere contendam: Inde ſcilicet orta hæc calumnia, atq; vnum cum altero coniunctum ab Anonymo: Res ita ſe habet. Deprehenderat Orator noſter, iniquiſſimè agere Torunenſes: eo quòd temerè iniuſtam rerum alienarum poſſeſſionem nobis obijcerent, cùm illi per nefas apertè aliena ſibi vſurparent; vrſit igitur, vt dicerent, quo iure ipſi aut conſcientia, templa Catholica & bona Eccleſiæ poſſiderent? quæ res adeo illis ſtomachum mouit, vt Patronus eorum dicere non dubitârit. *Non tenentur*, inquit, *vobis relegatis ex Gallia, Torunenſes huius rei rationem reddere: non eſt veſtrum Ieſuitæ cum Torunenſibus, ea de re expoſtulare, nec me eorum nomine aniles rixas vobiſcum fruſtra texere.* Itane vero? non tenentur Torunenſes, quo iure templa Catholica poſſideant, reſpondere? Per quàm facilis planè obiecta crimina diluendi ratio. At viri boni

certè est, & qui causæ suæ fidat, suarum rerum, quò omnibus sua innocentia manifesta sit, rationem reddere non erubescere. Et cur uos multa nobis hîc exprobrastis: multorum vobis rationem reddi voluistis? vt de Venetis, Anglis, Gallis, Hispanis, & multis alijs quæ ad vos minimè spectant? Iam verò si aniles rixas, de possessione Ecclesiarum disputare, causidicus vester esse putat, cur tam impudens fuit, vt etiam de domo nostra, quam iniustè per decennium occupatam tenuistis, nobiscum rixari nomine vestro voluerit, tam prolixam de ea disputationem instituendo? Respondet nihilominus Patronus Torunensium molestæ interrogationi, indignabundus tamen, nec sinè insigni in nos contumelia & calumnia, eò quòd hæc res directè ferierit frontem illius & suorum.

Iure, inquit, & quidem triplici, bona prædicta possidentur à Torunensibus: tum quia ea ab Antecessoribus suis, tanquam per manus successione quadam acceperint: tum quòd à Serenissimis Poloniæ Regibus in eorum possessione, confœderatione Regni intercedente, contra quam, inquit, vos canum latrantium more blateratis, fuerint confirmati: Sed an vel leuem spiculi arundinei ictum, hic murus Torunensium aheneus, possit sustinere, videamus.

A suis maioribus aiunt, se templa Catholica, & reliqua bona Ecclesiastica accepisse, audio; sed quos recenseant maiores? expecto: nec video. Dicite Torunenses, quinam illi maiores vestri fuère, Catholici ne an Hæretici, à quibus has possessiones per successionem accepistis? Catholicos dicere non potestis; nam vt ex meo nihil addam, vel ex ipsis Illustrissimi Episcopi Cuiauiensis Laurentij Gębicki literis, ad vos ab eo datis, quas in primo capite citaui, vos luce palam confutabo. Atq; vt plurima ex ijs literis ab ipso vsq; D. Casimiro repetita, quæ ipsi per vos legere potestis, ommittam, illud tantum isthuc affero. *Sanè, inquit ille, cùm maiores vestri tantam illam fabricam templi molirentur, cùm Scholas, domiciliaq; sacerdotum pia impensa pararent, cùm amplam dotem assignarent Ecclesiæ eiusq; Ministris; ad ea omnia Episcopi aßensum & licentiam petierunt, & perfecta opera ista, ac ipsi D. Deo consecrata, in ipsius potestatem ac fidem contulerunt, quòd religiosissimi homines probè intelligerent, rerum diuinarum, sacrarumq; ædium curam ad eos pertinere, quos Dominus vnctione misericordiæ suæ, in opus Sacerdotale delegißet, abundeq; negotij sibi fore, si publica munia, si publicas priuatasq; domos ipsi rectè administraßent. Consulite Annales vestros ac ipsa primordia vrbis vestræ recognoscite, ita vt scribimus ista se habere proculdubio cognoscetis: Quæ igitur illi summa pietate, in matris Ecclesiæ, Episcopiq;*

scopiq; , ac ordinati ab eo Parochi potestatem tradiderunt, ea vos in possessionem vestram, iterum vobis ipsis authoribus, vobis iudicibus, vindicabitis, & quidem non iure, sed vi manuq; disceptando? Nos ex possessione deturbabitis, quam olim possidemus? Habemus origines firmas ab ipsis authoribus, quorum res fuit propria: nos hæredes sumus, sicut testamento ipsi cauerunt, sicut fidei commiserunt, sicut adiurauerunt, ita tenemus, & tenuimus. Vos exhæredauerunt & abdicauerunt semper, tanquam extraneos, & inimicos, vti contra vestri similes ab vnione S. Ecclesiæ diuisos, tot ante sæculis scripsit Tertullianus: Desinite igitur in curam & tutelam Ecclesiarum vos ingerere, quæ à Catholicis fundatæ maioribus, Catholicæ religioni in perpetuum sunt adscriptæ. Hucusq; Illustrissimus Episcopus; ex quibus planè Torunenses intelligere potestis, vos vestram Ecclesiæ Catholicæ bonorum possessionem, in antecessores Catholicos nunquam referre posse, qui omnia illa bona Deo, & Ecclesiæ Catholicæ Romanæ donârunt, & in manibus eiusdem ac Episcoporum relicta esse voluerunt: vos contra, instituta illa & donationes rescindatis, ad vos ipsos transferatis, & ex iurisdictione exempta esse contendatis & enitamini. Possem, nisi me prolixitas orationis deterreret, multa etiam, in hoc genere ex Illustrissimi Petri Tylicki tunc Episcopi Culmensis, nunc autem Cracouiensis, literis adducere, in quibus ille, cùm primùm nostros Torunium induceret, vos de his rebus conuicit, sed quia has literas vestro asseruatis archiuio, ad eas vos remitto. Hæccine igitur vos tam abominanda, tam inaudita Sacrilegia, in vestros maiores Catholicos refferetis? Ab Hæreticis Antecessoribus, iam vt video vestram successionem exordiemini. At illi qua fide, cuius assensu, quo priuilegio, quo iure, in hæc bona inuolârunt? producantur tabulæ, producantur decreta, producantur Reges ac Episcopi quorum assensu hæc occupârunt? sed nempe vt Hæretici, raptores, Sacrilegi, bona Ecclesiæ, quam matrem agnoscere nolunt, non vt filij, sed vt degeneres, & abortiui rapuerunt, violârunt, dissiparunt. His vos gaudetis maioribus, ab his vestrarum possessionum Sacrilega deducitis exordia. Verùm an licitè iusteq; raptores, res à raptoribus raptas possideant, vosmet vobiscum expendite. *Atq; cùm hac fide templa* Catholica bonaq; Ecclesiæ possidetis, vosne Serenissimis Poloniæ Regibus, tantam maculam aspergere non reueremini, vt vestras rapinas, vestra Sacrilegia, ab illis confirmata esse dicere audeatis? ô impudentiam; ô mendacium; nominentur isti Reges, qui tantam infamiæ, iniustitiæ, Sacrilegij notam S. R. Maiestati inussêre: proferantur diplomata, quibus

tantum

tantum approbârunt facinus? An non Reges Poloniæ in prima sui inauguratione, cùm clauum Reipublicæ capessunt, Sacramento Iuramenti, verbis conceptis se se obstringunt, omnia Ecclesiæ iura per se sarta tecta futura? an non cùm & alia iurant, saluis tamen iuribus Ecclesiæ, semper addunt? Ecce vestrum alterum ius Torunenses, id est iniuria, quam & Deo & Regibus Poloniæ per summum scelus facitis, & vtriusq; nomē nefariè violatis. Quo prognatū eodē est, & illud tertium vestrum, quod additis de confæderatione, à vobis confictâ. Quæ enim vnquam in Polonia talis Confæderatio fuit, quis eam bonus admisit, per quam aliena rapere, rapta non restituere, latrocinijs, direptionibus passim sæuire liceret? Id ne Confæderationis nomine, maiores nostri intellexerunt, cum eam in gratiam hominum diuersæ Religionis à nostra, admittebant? Ne ergo erretis, & Confęderationem ad diripienda bona aliena institui putetis, pauca ex protestatione Magnifici D. Brodowski Notarij terrestris Lublinensis, facta ab eodem Lublini, in qua acta Comitiorum generalium anni 1613. quibus ille nuncius aderat, continentur, hîc attexam, vt ex totius Regni sensu quid sit Confæderatio, discatis.

Cùm enim nuncij aliqui Euangelicæ Religionis proposuissent in illis Comitijs, vt sibi liceret, ex vi, vt illi malè exponebant, Confæderationis concessæ, anno 1578. cùm emunt bona stabilia, Ecclesias Catholicas, vna cum prouentibus illarum, quæ in illis erunt mutare, & ad suam fidem & Ministros transferre. Hoc responsum á Serennissimo Rege, á toto Senatu, & ab alijs omnibus nuntijs acceperunt. *Quemadmodùm interueniente interregno, post Regem, felicis memoriæ, Sigismundum Augustum, per homines sæcularis duntaxat status, propter pacem retinendam, Confæderatio est concessa; ita sub Henrico felicis memoria anno 1573. tantummodo ad stabiliendam pacem est adiurata. Verùm in coronatione eiusdem Regis Henrici, in nullo est confirmata, imò in confirmatione libertatis, in iurium, ac Priuilegiorum Regni, statuum tam sæcularium quàm Spiritualium, Ecclesiarum & personarum cuiusuis conditionis, per eundem Regem Henricum in anno 1574. in recessum, sub titulo oblationis articulorum contentiosorum, ad Comitia districtuum est relata, deinde per Regem Stephanum 1576. & post Stephanum Regem dum interregnum esset 1587. tandem per inuictissimum modernum Regem & Dominum nostrum eodem anno, & in sua Coronatione & confirmatione iurium omnium & pactorum in anno 1588. non in permutatione templorum, aut in subtractione iurisdictionis Spiritualis, iurium & Priuilegiorum Ecclesiasticorum*

corum, ciuilium, & personarum cuiusuis ordinis, & iurisdictionis ipsarum; neq; in constitutione iurisdictionis contraria, neq; in subtractione prouentuum personarum Spiritualiũ, sed duntaxat in retinenda pace inter homines diuersæ Religionis, iuramento stabilita est: consilia verò & modus procedendi ad Confœderationem constitutus partibus inseruiens, in recessum sunt relata. Emptionem præterea, facultatum quæ essent hæreditariæ, ad emptionem seu permutationem Ecclesiarum aut jurisdictionum & prouentuum Spiritualium, minimè pertinere declaratum est. Nam quemadmodum Catholici, dum semel templum & prouentus pro fide Catholica fundarunt, iterum pro alia religione, aut beneficio etiam eiusdem fidei, permutare non possunt: ita plane alterius Religionis homines, fundationes, prouentus, Iurisdictiones Catholicorum in alteram fidem transfundendi nullum ius habent, quandoquidem ius Patronatus, non ad permutationem, neq; ad diminutionem iurium & prouentuum, sed ad subrogandos tantummodo Ecclesiæ præpositos, hæredibus inseruiat.

Quod attinet ad partem Senatus Spiritualem circa Confœderationem, illa non ad stabiliendã permutationẽ, sed tantũ ad pacem inter homines diuersæ Religionis conseruandam, vt subscriptiones omniũ testantur, suum subscribebat nomẽ, atq; in his subscriptionibus articulũ de cõfœderatione (si quid aliud nomine Confœderationis intelligeretur) excipiebat, & saluum ius Ecclesiasticum volebat. Hæc ex Actis Castri Lublinensis. Ac ne longior sim, nolo, vt iam statueram, huc producere protestationem in castro Sochaczouiensi Anno 1573. feria tertia post Dominicam Quadragesimæ sub interregno factam, ab Illustrissimo piæ memoriæ Iacobo Vchanski Archiepiscopo Gnesnensi, & tribus Episcopis præsentibus, Posnaniensi, Plocensi, Chelmensi, ac multis ex nobilitate sæcularis status, nomine omnium aliorum Ecclesiasticorum, & fere totius Nobilitatis Polonæ, contra Confœderationem: cùm primùm illa ab Hæreticis Senatui ac Nobilitati, quę pro electione Regis Varszauiam confluxerat, oblata, & á quibusdam illorum, non ab omnibus admissa fuisset: quam Confœderationem vt perniciosam, & contrariam legibus, non solùm Ecclesię Christi, sed etiam Regni Poloniæ, & quæ viam omni sceleri, Hæresibus, Sacrilegijs, impunitati, cædibus aperiret; protestantur publicè, se nomine totius Senatus Spiritualis, ac secularis, contra paucos illos execrari, damnare, ac nulla ratione ei subscribere. Cuperem sanè hanc protestationem, tam Illustrium virorum á Torunensibus perlegi, ex qua intelligerent, an vnquam talis Confœderatio in Polonia, qualem illi comminiscuntur, & qualem cuperent, fuerit admissa.

Frustra itaq; Torunenses suam iniquam bonorum Ecclesiæ posse-

 ssionem

ßionem in Confæderationem referunt. Nam si ea aliquando á Regibus, seu Nobilitate Polona concessa fuisset: quid causæ esset, cur feré continuò Episcopi illis, de bonis Ecclesiæ direptis litem intenderent, de iniurijs vbiq; expostularent, de restitutione templorum, ac possessionum Ecclesiæ litigarent? cur & ipsi Serenissimi Reges, totus Senatus, omnia Tribunalia, omnes iudices qui hasce causas examinant, eos iuberent, vt malæ fidei possessores, ablata restituere, é fundis malé partis excedere, templa Catholica olim erepta reddere? Silendum potiùs vobis esset, ne dum, iam toties vestra commenta luce palam confutatur, erubescere cogamini; sed dum finem nullum criminationum in alios facitis, & vestras rapinas, Sacrilegia, fraudes, fallacibus quibusdam ratiunculis tegitis, iustè hæc, quæ maximé nolletis, auditis,

Atq; vt id quod initio proposui, tandem aliquando concludam, mirari satis non possum, qua fronte Torunenses, per insignem, vt solent, contumeliam, nostræ societatis homines, more canum semper blaterare contra Confœderationem dicant. Nam si per confœderationem idipsum, quod omnes boni intelligunt, & quam tot Reges, Principes, Senatores, ac vniuersa nobilitas Polona ad solam pacem & tranquilitatem reip. stabiliendam, vt iam manifesté docuimus, admiserunt & approbarunt, doceant vbi nam & qui Iesuitæ contra talem Confœderationem, vel vnum verbum fecerunt, aut aliquem in causa Religionis puniendum esse vrserunt? Quod si nomine Confœderationis, libertatem Ecclesias Catholicas occupandi, facultates illarum diripiendi, occupatas iam per vim non restituendi, iura Ecclesiastica peruertendi, vt ego puto, & ipsi se manifestè produnt, & prodiderunt in penultimis comitijs Regni, intelligunt; adeone impios ac in vniuersam remp. Christianam infidos, ac perduelles Iesuitas esse volunt: vt quàm Confœderationem omnes Reges summa constantia repudiarint, omnes Ecclesiæ principes maxima contentione impugnarint, omnes Senatores, vniuersa nobilitas Catholica summi æquè omnes ac infimi, totis viribus æterna obliuione obrui, sint adnisi; vt pote pacis communis inimicam, & quæ non priuatorum duntaxat facultatibus, sed vniuerso Regno certum machinetur & portendat, imo afferat exitium & ruinam, eam a solis Iesuitis defendi & promoueri velint? Addo plus, eamne Confœderationem Torunenses à Iesuitis laudari velint, & si eam impugnent, eos more canũ blaterare dicant, quã non iam Catholici, sed ipse illorum Apostolus & primarius minister Caluinisticus Theodorus

odorus Beza in Epist. Theolog. Pag. 20. & 21. disertissimis verbis est execratus, & condemnauit. *Libertatem inquit ille, conscientijs permittere, sinere vnum quemq; si volet perire, mere Diabolicum dogma est, Et haec est illa Diabolica libertas, quae Poloniam & Transyluaniam, hodie tot pestibus impleuit, quas nullae alioqui sub sole religiones tolerarent. Haec ille.* quid hisce verbis luculentius, quid clarius? vestrumne vos, Torunenses, Apostolum more canis blaterare dicetis, qui tam vehementer, tam acriter, in quamuis Confoederationem & nominatim, eam quam in Polonia permissam dicitis, inuehitur? nae iniurij eritis.

Sed vestra est haec Luteranorum & Caluinistarum natura, vt cum in aliqua Ciuitate aut Regno superiores estis Catholicis, & ijsdem dominamini, Confoederationem vituperetis, & vt impia & abominanda in se continentem, nequaquam admittatis: si verò inferiores vos illis esse contingat, continuò eam laudetis, vrgeatis, & contra eos, qui eam vituperant, verbis, conuitijs, & maledictis insurgatis, multaq; eis nefaria & horrenda affingatis. Cur ita? quia cùm auditis a quopiam Catholicorum, in Regno Catholico Confoederationem damnari, putatis iam vos expeti ad mortem, & bona vestra ad direptionem, quae vos nequaquam subire vultis: cùm non tanti faciatis fidem vestram, aut potiùs perfidiam Luteranam aut Caluinianam, vt pro eius integritate in vltimum vitae ac fortunarum vestrarum discrimen, venire non recusetis.

Hanc itaq; Confoederationem, quam non Polonia solùm, sed vniuersus orbis vt pestem auersatur, nos cum omnibus bonis, imò & cum vestro Beza, impugnare, inficias non imus. Quod si id in nobis Torunenses reprehendunt, quod omnes omnium ordinum homines summa animi contentione faciunt, videant etiam atq; etiam, quo animo sint in patriam, quàm fideles Regibus, quam Reipublicae addicti, quam pacis & tranquilitatis communis studiosi: qui hanc funestissimam pestem, non solùm per se, sed per alios etiam, in nostrum Regnum inuehi expetant, eosq; qui ei resistant, summis oppugnent viribus, & omnibus modis nocere quaerant.

CAPVT SEXTVM.

Iesuitae non impedierunt, ne Religio Augustana liberè Toruniј exerceretur.

IN accusatione sua Torunienses, coram Conuentibus contra nos instituta, hoc crimen primo loco nobis imposuerunt: Iesuitas videlicet summa ope adniti, vt Religio Augustana Torunij, ac in tota ferè Prussia aboleatur, & ex omnibus Templis ac Scholis, penitus exturbetur. Id quia Defensor noster dici tantùm a Toruniensibus, & non probari optimè docuit; cùm Torunenses vbi, & quo tempore, quo in templo, quibusq; in Scholis, & per quem Iesuitam id factum esset, nec ostenderunt, nec possunt ostendere: ego actum agere nolo, atq; adeo à confutatione huius criminationis supersedeo. Cùm itaq; hanc suam accusationem Torunenses improbatam reliquissent, eamq; Patronus Torunensium, ab Oratore non conuulsam modò, sed irrisam etiam videret, quibus eam nunc machinis propugnare, quibus argumentis ac testibus erigere, & stabilire contendat videamus. *Prô dolor, inquit ille, (spectati risum teneatis amici) quanta impudentia spiritus Iesuitici, negare ea quæ omnibus sunt in propatulo? Nonne Vilna & Posnania testes sunt, vt de alijs ciuitatibus nihil dicā? An non is, qui, tēpla exurit, Ministros Ecclesiæ violento conatu persequitur, concionibus, & thesibus suis in publicum editis, spe impunitatis promissā, Scholares suos, & populum ad vim Euangelicis, eorumq́; pietati, inferendam incitat, eamq́;, absq; scelere fieri posse persuadet: an non inquam is exercitium Augustanæ religionis turbat, & illud, ex ipsis planè fundamentis, euersum cupit?* O insignem, Rhetoremne dicam an argumentatorem? qui tam pathetice vt Rhetor, argute vt Phylosophus, suam promouet quæstionem: criminatorem dicam verius. vt pote cuius & ipsum Pathos, & argumentum ex criminatione, calumnia, & odio, sit conflatum. Quid enim sibi vult illa inclamatio? cuius dolorem designat? nempè Torunensium Hæreticorum: qui quòd Iesuitas, licèt omnes machinas adhibeant, opprimere non possunt, penè dolore crepant. Qvam impudentiam, spiritui Iesuitico, impudens illa Anonymi oratio adscribit? nempe illam, quam ex imis inferorum sedibus erumpens, Cacodęmon Hæreticis inspirauit. Quæ tandem illa sunt, quæ omnibus in propatulo esse dicit, ea tamen à Iesuitis negari? num quòd Iesuitę, Augustanam Confessionem impediant? at hoc qui sciat, prętér Torunenses, & aliquos ipsis similes Hęreticos, nemo inuenitur, imò nec ipsi sciunt, sed hallucinantur & turpiter errant. Sed Anonymus testes huius rei Vilnam, & Posnaniam adducit. Longum certe saltum facit. Debebat enim probasse, Iesuitas Torunij, quod Torunienses obijciunt, & in tota Prussia Augustanam impedire religionem. At quid Vilna, quam ipse

testem

in testem adducit, & Posnania cum Torunio & Prussia habent, nisi fortè Torunenses, Prussiæ, & suæ ciuitatis terminos, Vilnæ & Posnaniæ circumscribant limitibus? Ergone is qui Vilnæ, aut Posnaniæ scelus admisit, eo ipso Torunij, aut in Prussia illud admisisse dicendus est? O argutum caput? Deinde fuerit ita, vt non est, impedierint Iesuitæ, Augustanam religionem Vilnæ, & Posnaniæ, quid ad vos Torunenses? vos Torunij ab illis impeditam esse probate. Agant Vilnenses, agant Posnanienses, de suis, si quas patiuntur iniurijs, Sed tam Vilnæ, quàm Posnaniæ Iesuitas aliquid horum, quæ illis Torunenses obijciunt, attentasse, falsum est. Quid enim Anonymus nomine Vilnæ, vel Posnaniæ intelligit? num homines Catholicos, an Hæreticos? si Catholicos: cur ex tanta multitudine, testem vel vnum non producit, nec nominat? Si Hæreticos, nec horum, tametsi suspecti testes sint, refugio iudicium: prodeant, & si quid habent legitimè attestentur. Quod verò dicit nullam se velle facere mentionem, de alijs ciuitatibus, cur ita? proferat, enumeret, per nos licet. Sed quia nullas habet quas numeret, facilè patior eas ab illo transiri. Pergo ad argumenta nunc Anonymi. Audacter & triumphanti similis ac si vicisset dicit ille? *An non is Augustanam religionem perditum abit, qui templa exurit, Ministros persequitur &c.* Itane verò? At si illa templa sint Arriana, vel Caluiniana & illi Ministri Ariani, vel Caluinistæ, num si quis vel hos persequatur, vel illa exurat, Augustanam pessundare dicendus erit religionem? At quid Ariani, quid Caluinistæ cum illa habent? Simile hoc planè videtur argumentum illi, quo quis perduellem quempiam Hispanum, qui multa in suo Regno patrasset, eum contra Regem Poloniæ hoc ipso deliquisse probaret. Sed valeat hoc Anonymi argumentum. At Iesuitas aliqua templa exussisse, Ministros eorum persecutos esse vnde probat? Ad Vilnam, credo, & Posnaniam, à qua iam repulsam passus est confugiet. At Vilnæ non Augustanæ, sed Caluinisticæ sectæ, templum ignis absumpsit. Quid verò vos Torunenses cum templis, & Confessione Caluinianæ sectæ, quæ è diametro pugnat cum Augustana? Imò nihil iam vos cum Augustana, vt postea videbimus, quæ solum vobis per dissimulationem Torunij permissa fuit. Deinde nunquid Iesuitæ authores incendij, templi Caluinistici Vilnæ, extitère, nunquid vel iuuentus quam ipsi in suis Scholis literis instituunt? At non contra Iesuitas, nec contra eorum iuuentutem, dum adhuc recens factum esset, ab ipsis Euangelicis, coram Commisarijs Regijs, Illustribus & Magnificis D D. D. Marsalco, & Cancellario Lituaniæ,

 quorum

quorum alter Catholicus, Euangelicus alius erat, accusatio fuit instituta, quibus Rex Serenissimus hanc causam iudicandam demandarat, vt & in authores facti inquirerent, & conuictos criminis plecterent. Illa ergo accusatio non Iesuitas, sed quorundam ciuium, atq; eorum etiam, vt apparuit, innocentium, caput petebat; quos dum conuincere accusatores non potuerunt, iussi iuramento rem confirmare, cùm id non auderent, decreto Commissariorum non acquieuerunt, sed ad Serenissimum Regem appellarunt. Fecit ille vbi primùm victor gloriosus, expugnato & capto Smolensco, Vilnam rediisset: quod Regem Catholicum, & patriæ amantem decebat: nam per se ipsum omnem diligentiam, in ea controuersia adhibuit: iudicare eam voluit, diem dixit, accusatores, & reos coram se adesse iussit: sed vt isti freti innocentia comparuerunt, ita illi diffidentes æquitati accusationis, noluerunt: & causam perdiderunt. Placuit tamen iisdem per Nuntios quosdam hanc eandem querimoniam in Comitijs, anni 1613. coram Serenissimo Rege, & totò Senatu, iam planè sopitam excitare: quibus hoc responsũ datũ fuit: Serenissimum Regem fecisse iam ea omnia quæcunq; illa causa postulabat: accusatores decretis Commissariorum non acquieuisse, iudicia ipsius Regiæ Maiestatis detrectasse: Comitia tantùm importunè & inutiliter quiritationibus, & obsoletis fabellis interturbare, nihil deniq; certi afferre. Ita refert in sua Protestatione M. D. Brodowski, iam ante à me citata, in qua etiam omnia illa, quæ circa combustionem templi Caluinistici a me dicta sunt continentur. Videant ergo Torunenses cuius oris sint; cùm Vilnensem tragædiam renouant, & in qua ipsi accusatores Euangelici, Iesuitas esse voluerunt, illi eos per summam impudentiam intrudant.

Atq; hæc quidem cùm ita se habeant, quam iniquè, quamq; sine vllo veritatis vestigio, Torunenses vociferentur. a Iesuitis Torunij Augustanam impediri religionem, quis non videt? cùm nullum hactenus, vel leuissimum huius rei afferre potuerunt, vt maximè optabant, indicium. Vos potiùs Torunenses isthæc parabola tangit, vestrum hoc crimen est, qui ad hoc vnicum, vestras omnes vires, omnes conatus, omnia studia, omnes cogitationes, omnes pene opes ac facultates conuertistis, vt religionem Catholicam, ne liberè Torunij exerceatur, impediatis, ac peruertatis. Et hoc est quod Orator noster vobis obiecit. Quid enim? An non impedire Catholicam religionem est, Catholicis priuata authoritate, ius & officia ciuitatis denegare? pompam solennem in qua sacrum Christi D.

Corpus

Corpus, publicè per vrbem de more Torunij antiquitus recepto, deferur prohibere, oppugnare, & perturbare, atq; ad iniurias Deo & Catholicis inferendas, tumultus ac seditiones mouere, omnes alias processiones publicas seuerè vetare; personas Ecclesiasticas ad ius suum vocare, Episcopis iura velle præscribere, ac eorum & Ecclesiæ iura sibi vsurpare: Catholicos omnes tanquam inuisos, latrones, ac perduelles vocare: & quod longè magis dolendum ac detestandum est, pauperes qui in nosocomiis, a Catholicis olim extructis, & de iure Episcopo Culmensi subiectis aluntur, ad Lutheranismum compellere, deniq; ad proprios famulos, ac famulas, si forté eas cum morte colluctari contingat, nullum Sacerdotem Catholicum admittere? Plura me Torunenses manifestissima vestri in Catholicos odij argumenta recensere cupientem, & tempus & charta deficerent, quæ quàm vera quàm efficacia, & quantum momenti ac ponderis habeant, vos ipsos testes, si quid sapitis, appello, qui ex combustione quorundam Caluinisticæ sectæ delubrorum Iesuitas Augustanam Torunij impedire religionem, argutè planè conclusistis.

Sed dum vos manifestissimis hisce indicijs, Catholicam Torunij religionē impedire conuinco, ne forte quia hoc Iesuita dicit nō credatis, audite quid Serenissimi Reges in suis decretis & litteris, quid Episcopi, quid Illustres Senatores hoc in genere de vobis & apud vos dicant. Legite Serenissimi Regis ac Domini nostri, literas ad vos anno 1614 8. Maij datas, in quibus vos, vt verus ac germanus pietatis & religionis Christianæ propugnator, acriter reprehendit, quòd publicos religionis Catholicæ ritus, & exercitia qualia ab ipso ciuitatis exordio (verbis eius vtor) obseruata fuere turbantes, Catholicos Sacerdotes, ne sacra ritu Catholico obeant, publicas statis diebus supplicationes instituant, impedientes; leges, ac statuta Regni conuellatis, & transgrediamini. Et quoniam ad has literas Regi, vos ipsos purgantes respondistis, libet eas, quibus & vestras excusationes confutauit, & quanto odio, in Catholicam religionem ardeatis ostendit, siquidem breuiores sunt, isthic interserere. *Spectabiles & Famati, Fid. nobis dilecti: accepimus literas Fid. V. quibus nobis significant quibus de causis, ne publicæ supplicationes, more Catholico statis diebus in ciuitate nostra Torunensi fierent prohibuerint. Nam antea cum id aliunde accepissemus, perscripsimus minimè nobis probari hanc Fid. V. in præscribendis definiendisq; legibus, quibus homines Ecclesiasticos teneri volunt temeritatem. Ne nunc quidem factum Fid. V. nobis placet neq; eæ rationes, quibus eo adductas se ostendunt*

ostendunt, satis idonea videntur, quæ iustam excusationem contineant. Frustra enim Fid. V. metũ excitandæ seditionis prætendunt, cùm id totum positũ sit in potestate vestra, ne tumultus in ciuitate fiant: quorum initium neq; à personis Ecclesiasticis, quæ paucæ isthic & inermes sũt, neq; ab ea, quæ in Scholis Catholicis eruditur iuuentute, quæ arcta disciplina continetur, & facile Præceptorum suorum animaduersione coerceri potest, orietur. Suos modo Fid. V. in officio contineant, neq; quicquam noui in ijs præsertim negotijs, quæ ad statum ciuitatis non pertinent decernant, ac deniq; de ijs iniurijs, si quæ priuatim intercedunt, ad eos qui corrigendi habent potestatem referant. Non dubitamus autem Fid. V. prioribus literis nostris, sedulò admonitas diligenter expendisse, quid officij eorum sit, & quid fides, quam nobis & Reip. debent, exposcat, de quo seriò iterum monemus Fid. V. ac vt securum hominibus Catholicis in Ciuitate nostra, statum præstent omninò volumus.

Hæc & plura alia in alijs literis Rex Sereniſſimus, Sed quid & veſtri, Illuſtriſſimi Culmenſes Epiſcopi de vobis dicant, paucis accipite. Atq; inprimis literas Illuſtriſſimi Laurentij Gembicki, iam toties citatas præterire non poſſum, tum ob eius feruentiſſimum in religione Catholica propugnanda, & tuenda zelum, tum ob eius diuinum planè & ardentem Spiritum, quo eas ſcripſit: adeo vt inter feruentiſſimos illos naſcentis Eccleſiæ Paſtores, numerandus eſſet: quas vos literas, ſi eo quo eſt par animo legeretis, ſi ea quæ in ijs dicuntur, ſedulò & accuratè vobiſcum perpenderetis, mirum eſt quomodo non ijs verborum fulminibus percul ſi conciderетis, quomodo ad tantum ignem, veſtrum cor glaciale licèt, non colliqueſceret: quomodo non ei veritati manus daretis? *Acerbiorem fuisse, scribit ille ad vos, nostram principio Epistolam querimini. Num blandiri vobis oportebat, cùm vos ijs, qui socij, fratres, planeq; membra nostra sunt, grauissimas plagas inferretis? cum ad Tribunal vestrum vocaretis, misteriorum Dei dispensatores, legis diuinæ magistros, hominum indices, in terra à Saluatore nostro constitutos, qui eiusdem ordinationis, proprios habent indices & magistratus? An non hoc erat spiritualem iurisdictionem euertere? an non contumeliam sacro ordini inurere? an Regiæ Maiestatis inuiolata constitit authoritas, cum & viuo & spirante acriterq; resistente Parocho, à Maiestate sua præsentato, ex ipsius domo plenissimo iure, à maioribus vestris Ecclesiæ adscripta, Sacerdotes Regia authoritate, Episcopi iussu in ea collocatos eiecistis? cùm spretis & repudiatis benignissimi Principis monitis, vt tantisper ab iniuria temperaretis, dum ipse cognosceret ecquid Scholæ, ecquid Societas ipsa vobis noceret, de iure occupatæ domus apud vos dicere cogebatis? Sed ita est vt ipsi fatemini, & Regiam authoritatem, & iurisdictionem meam, & Ecclesiasticas*

asticas immunitates intra quas vobis collibuit, metas & terminos cogitis.

Pari spiritu & Zelo, Illustrissimus Tilicki, in suis literis expostulat vobiscum, quòd religionem Catholicam omnibus studijs impugnetis, Regijs decretis non optemperetis, Episcoporum authoritatem nihili faciatis, in iura Ecclesiæ vos ingeratis, Parocho ac ipsis demum Episcopis leges præscribere adnitamini: ait enim post multa. *Illud velimus considerent, quam iniquum & intollerabile sit. si non satis habeant, si ipsæ D. V. ab Episcopo non corrigantur, si arbitratu suo Doctores, & doctrinam sibi deligant, propterq; duritiem cordis illorum, in illo mentis suæ perniciosissimo; dolendoq; errore permitti cogantur, nisi ipsi etiam Episcopo præscribere velint.* Et post pauca iam concludendo Epistolam. *Rogamus, inquit, itaq; & obsecramus in Domino, vt in mansuetudine Christiana charitatem sectantes, suum cuiq; tribuant, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo: Regiæ collationis, & iuris est templum, ordinis & docendi in eo ratio, ab Episcopis dependet. Sinant ergo D. V. retinere vnumquenq; quod suum est: quod ex Regij quoq; decreti sententia facere tenentur: non modo enim de possessione templi concedenda, verum de non impedienda quoq; in posterum, pœna proscriptionis interposita, Regio decreto vobis cautum est.* At quoties iam Torunenses, huius decreti pænam incurristis, qui toties Catholicæ religionis iura, in vestra ciuitate violastis? Hæccine igitur vos tam insignia, tamq; Illustrium Senatorum testimonia contemnetis? Sed quid ego testimonijs Regijs, aut Episcoporum contra vos vtor? Testis est vniuersa Polonia, testes omnes ciuitates, testes omnium ordinum homines, testes ipsæ domus, plateæ, templa, ac muri ciuitatis illius, qui toties ipsorum violentias ac tumultus, contra Catholicos, eorumq; sacra ac ritus excitatos, tot iniurias, rapinas, suis conspexere oculis: ita vt domi forisq; nihil aliud agere, nihil moliri, nihil cogitare, in nullam rem maiorem conatum, maius studium, maiorem industriam adhibere videantur, quàm vt Catholicos opprimant, eorum sacra è sua ciuitate omninò exturbent, templa occupent, eaq; suis abominandis cæremonijs contaminent. At quid tale vnquam non dico Iesuitæ, sed Catholici etiam, in Euangelicos commisêre? Qua in re videre etiam atq; etiam deberent Torunenses, vtrum iura Confæderationis, quam ipsi semper in ore habent, & contra quam nos more canum blaterare calumniantur, non violent: in qua si quando suscepta est, nihil aliud prætendebatur, quàm vt pax inter homines diuersæ religionis conseruaretur: quam pacem Torunenses, tot suis in Catholicos admissis iniurijs, toties impie violarunt.

 Neq;

Neq; è re futurum puto vt probem ea, quæ paulò ante Torunensibus de perturbanda religione Catholica obieci, cũ ijs nihil toti ferè mũdo sit notius & ipsi quòd ea faciãt, inficias ire nõ possunt. Ne tamen mirentur, cur præter solitũ in extremo quod illis obieci crimine, vehementius in eos sim inuectus, aut certè illud negét, (motus enim verè zelo pietatis Christianæ reiq; ipsius indignitate, calamũ inhibere non potui, quin ea quę ibi dixi effunderem) vnũ exemplũ, cuius ego testis ipse sum luculent⁹ afferam. Sub id temp⁹ quo præerã Collegio Toruniensi, erat apud vnum ex vestris ciuibus, in noua ciuitate puella, quæ dum post multos in vestris obsequijs susceptos labores, in morbum incidisset, seq; iam morti quàm vitæ propiorem cerneret: Sacerdotem Catholicum cui animi sui noxas contractas ritè aperiret, ne sine Sacramentis è vita excederet, aduocari rogauit: aduocatur Sacerdos vnus ex Vicarijs, (nostri enim Ordinis Sacerdotibus, nequaquam ad vestras domos huius rei gratia aditus pateret) Quid hîc vos Torunenses? veluti ad prædam conuolatis, Sacerdotem Catholicum domum inferre pedem non permittitis, vestrum Ministrũ obtruditis, miseram famulam vestris attritam laboribus ad defectionem á fide Ortodoxa sollicitatis, ad Luteranismum cogitis: non contenti si vitam præsentem, in vestris laboribus & obsequijs amiserit, sed æternam etiam per vestrum scelus & impietatem perderet; & quibus hic fuit famulata, cum ijs, per eorum inuidiam, æternos cruciatus apud inferos perferret. O scelus, ô improbitatem. Quid misera hîc ageret ancilla, quo se verteret, cuius imploraret fidem non habebat. Rogare, obtestari, Diuinam humanamq; fidem implorare, Deum inuocare eiusq; Diuinum Nomen interponere non cessat, ne suam animam perditum irent. Sed surdis omnia excepta auribus. Ergo ad extremum misera famula conuersa remedium, cupere se domo eijci obtestatur, si aliter Catholicum Sacerdotem habere non possit. Dictum, factum. Iubetur illa quæ vix pedes mouere poterat & in suis obsequijs eò calamitatis deuenerat, & vitam pene amiserat, abire quo vellet, Secessit igitur in domum cuiusdam Catholici. Accedit tunc primum optatus Sacerdos Catholicus, & animi labes, ritè per sacram expiat exomologesim, quod dum fecit, fælix illa & in Hæreticorum insultibus sustinendis fortis, & imperterrita virago, religiosum spiritum Deo reddidit. Hæccine pietas vestra, hæc in famulos vestros gratitudo? hæc illorum merces apud vos? hæc stipendia? Hæccine lex eius confæderationis quam votis omnibus expetitis? hæc libera eius Religionis,

quæcunq;

quæcunq; illa cuipiam placuerit, profitendæ potestas? num hoc non est iura legesq; huius benedictæ libertatis perfringere? per vim ac violentiam, ad vnam Caluinisticam, seu Luteranam sectam nolentes cogere? cæteris in sua fide liberum relinquere nihil: sibi suæq; sectæ omnem licentiam afferre? Quàm benè hoc impio facto consilia, cogitationesq; vestras prodidistis. Nimirum non hanc vos Confæderationem exposcitis, quæ pacem inter dissidentes in Religione tueatur, hanc enim iam habetis: verùm illam, quæ vobis omnem in Catholicos palam & impune debacchandi permittat licentiam: quā donec extorqueatis, (sed frustra omnino laboratis) vniuersos Regni Ordines, singula Comitia, Singulos Conuentus, assiduis nescio de quibusnā iniurijs, vestris impletis deplorationibꝰ & querelis. Sed audete, & quod longè facilis obtentu vobis est, Commissarios à Serenissimo Rege impetrate, vt illi vestras istas cognoscant iniurias. verùm cauete ne tū demū liquidò constet, plures Catholicos à vobis Hæreticis, quàm vos à Catholicis, pressuras pati. Deum bonum quot accusationes, quot querimonias, ibi contra vos audiretis, nec solùm à Catholicis, sed ab ipsis Hæreticis, ijs nimirum, qui Luteranismum profiterentur. Iam enim misera plebs, cum sit Luterana, vos Senatores Caluinistas benè sentit, & cùm ob vestram potentiam resistere, iugumq; excutere non potest, gemit. Sic Torunenses, vestrum odium in Catholicis opprimendis explere, non potestis, nisi etiam vos in vicem mordeatis, atq; vtinam aliquando iuxta Apostoli sententiam consumamini.

CAPVT SEPTIMVM.

Non incitantur à nobis Studiosi vt vim Euangelicis inferant.

Quia non veritatis tuendæ studium, sed calumniandi libido impotentem animum Patroni Torunensium inuasit, vnde & quo liberius suo indulgeret desiderio, larua assumpta, nomen suppressit suum: ideo non ea argumenta, quibus veritati, quam nullam habet Patrocinetur conquirit; sed calumnias, ac figmenta, quibus nostram Societatem infamem reddat, vndequaq; corradit. Est & alia huius rei causa, cùm enim veritatem criminationis Torunensium, cuius se patrocinium suscepisse gloriatur, nullo pacto tueri potuisset, nec Oratorem nostrum, pro quo veritas ipsa pugnabat, refellere quiuisset: ad commune Hereticorum contra Soci-

tra Societatem nostram asylum, Hæreticus & ipse, ad criminationes & contumelias animum conuertit: ratus hac communi suorum via, se abundè veritati mendacio potiùs, patrocinaturum, neq; enim veritas vnquam magis mendacio suffulta, quam se ipsa viguit. Ait ergo, *à nobis iuuentutem, quam in scholis nostris erudimus, ad nocendum Euangelicis, priuatim & publicè incitari.* Sed sicut Anonymum argumenta ad patrocinandum veritati defecerunt, ita & propria argumenta ad calumniandum non suppetebant, adeo vt ex alienis scriptis ea furari, & in suum libellùm transferre cogeretur. Quia verò hanc calumniam, Illustrissimus Martinus Szyszkowski Episcopus Plocensis, pro suo in Ecclesiam Dei & nostram Societatem studio, clarissimè in sua oratione contra Equitem Polonum scripta, fere ante 20 annos confutauit, ad eam vos Torunenses cum vestro Patrono remmitto. Nisi forte ille ipse fictus Eques sit: sed siue idem sit, quid ibi illi responsum videbit; siue non idem, à quo tamen hanc calumniam mutuatus est, quid illi ad eam responsum sit legat. Placuit tamen ex illa prolixa oratione, hæc pauca hic ponere scripta ab eo, qui cùm totos pueritiæ annos, in optimis literis apud nos posuisset, experimento suo didicit, quibusnam præceptis in nostris Scholis, iuuẽtus imbuatur, & ad quos mores informetur. *Non verebere* inquit ille, suum alloquendo equitem *tu homo omnium scelerum maculis notatissimus, collegia societatis I E S V, domicilium scelerum omnium, atq; flagitiorum receptacula appellare? Odurissimum os & fuste contundendum. Tu scholas Iesuitarum in quibus nihil nisi Sanctum, nisi verecundum, nisi honestum resonat, scelerum atq; flagitiorum officinas appellabis?* Et sic latissime hoc argumentum persequitur, omnes fere Senatores, vniuersam polonam Nobilitatem, ac seipsum, in testes adducendo: qui omnes bonam ætatis partẽ in nostris scholis contriuerũt, & nũc etiã sui filij cõterunt, nec tamen ex ijs quicquam, præter doctrinam & pietatem exportârunt. At paulò inferius, ita equitem, qui à nobis iuuenes ad omnia facinora exercitatos emitti, subinde querebatur, vrget. *Qui quæso te, inquit, isti iuuenes sunt ad omnia facinora exercitati? Si discipulos Iesuitarum intelligis, mentiris turpissimè; isti enim non ad facinora, sed ad omnem virtutem in scholis eorum exercentur. Si eos qui institutum Societatis amplectuntur, & Christum sequi relictis omnibus in animo constitutum habent; profectò te omnium non tantum bipedum, sed etiam quadrupedum nequissimum esse necesse est. qui Christi seruos, pugnam cum vitijs & concupiscentijs suis ingressos, ad omnia facinora exercitatos dicere non vereris.* Hæc Illustrissimus Episcopus. Nec minus luculenter, Galliæ Rex Henricus quartus, in sua pro

Societate

Societate Apologia hanc diluit criminationem. *Nunquam iuuentus est, inquit, qui in Scholis Iesuitarum necem Regum vel scelera didicerit. Quare totum hoc quod illis obycitur, nihil est. Triginta & amplius anni effluxére tùm in Gallia iuuentutem excolunt, centumq; Scholasticorum millia ex eorum Collegijs prodierunt, Anne aliquis istorum id se didicisse vel audiuisse à Iesuiis fassus est?* Sed neq; pauciores abiêre anni, vt nostra Societas in Poloniam à Serenissimis Regibus ac Episcopis inuecta est, in nostris Scholis lectissimam fere totius Poloniæ sobolem optimis literis instituimus, ex quibus postea alij Episcopalis dignitatis cathedras, pro sua virtute & doctrina occuparunt, alij in Senatorum Collegia adlecti sunt, multi Iudicum subsellia, & alios atq; alios reipublicæ magistratus sunt adepti, plurimi domicilia Religiosorum, Parochiales exedras summa & infima loca & munia in nostro Regno impleuerunt: adeò vt pauci ex Catholicis in tota Polonia reperiantur, qui non gymnasiorum nostrorum disciplinam vel leuiter degustârint; nec tamen in tanta multitudine vel vnus est inuentus, qui Iesuitas ad nocendum Euangelicis, iuuentutem studiosam clam palamue instigare fassus fuerit. *Verum Patronus Torunensium*, ne stulte hanc sopitam iam, & toties refutatam fabulam, suscitasse videretur, probat eam thesibus Patris Laurentij Arturi é nostra societaté, viris Principibus Poloniæ notissimi, atq; acceptissimi, maxime vero Andreæ Opalinski Marschalco Regni & Generali maioris Poloniæ, Senatori cùm prudentia & authoritate in rebus gerendis clarissimo, tum in Reipublicæ incolumitate tuenda constantissimo; atqui tantum abest, vt hic vir aliquid tale, contra Euangelicos machinaretur, vt etiam, qui ab Illustrissimo Plocensi Episcopo in sua oratione pauló ante commemorata, magnis celebraretur laudibus promeruerit, tanquã is qui in confutandis Hæreticorum erroribus, semper adeò constans, sedulus, & prudens extiterit; vt ne hiscere quidem illi contra auderent: quod in præclaris illis tribus libellis de Ecclesia Christi in terris, contra Sadeelum editis egregié præstitit, quibus ita os Hæretici clausit, vt ne verbum quidem respondere ausus fuerit. Huius ergo viri theses, Posnaniæ disputandi causa, vt in Scholis fieri solet, editas, Anonymus noster opponit. *Inspicite* inquit *Theses Socij vestri de Ordinatione & vocatione Ministrorum Lutheri & Caluini Posnaniæ editas, & ibidem in Collegio vestro disputatas.* Priuatim verò assertionem 22. citat, atq; eam quidem in alia parte truncam & mutilam, in alia auctam & deformatam, ac pene non eius, sed suam refert. Hæc enim fides Hæreticorum est in citandis authorum sententijs, vt si suo proposito aduersæ

uersæ sint, eas mutilando, augendo, ad suum sensum detorqueant, more Iudæorum: qui dum Scripturæ locum, de Christo in Bethleem nascituro Herodi refferrent, verba quæ eius Diuinitatem apertè innuebant, vt pote sibi inuisa, subticuerunt. Docuerat ergo P. Arturus in suis illis thesibus, neq; Lutheranos, neq; Caluinos, ac generatim neq; vllos alios Hæreticos, Sacramentum Eucharistiæ conficere vllo modo posse; ac proinde in illorum tantum cænis, illud impium Zwinglij & Sacramentarium dogma locum habere, quod Christum non contineri sub Eucharistiæ Sacramento, nec ibi veré præsentem adesse asserit; id de illorum pane, verissimum esse, & dici debere, cùm nullam ad Sacramentum conficiendum habeant potestatem, & sint meré laici, nec ad Sacerdotalem legitimé sint euecti dignitatem: vnde & meritissimo iure, exemplo S. Athanasij, possunt ab altare abigi tanquam fures, latrones, qui non per fores, sed per fenestram, & aliunde in hoc ouile Dominicum ascenderunt, & tremendum Sacerdotalis dignitatis munus, Sacrilego ausu sibi vsurparunt. Diuinus enim ille Antistes, cùm ab Arianis ei obiectum esset, quod suus præsbiter Macharius in Ischiram (erat is commentitius quidam Sacerdos & qui falso id muneris sibi arrogabat) impetum clam fecisset, & mensam Domini in qua ille celebrabat euertisset, poculumq; mysticum confregisset, respondit, Macharium hac in re, si id fecisset, nihil peccasse; cum enim Ischiras ille, sacerdos nunquā fuerit, Sacramentū verū conficere non potuit; ac proinde nec Machariū quidquam indignitatis (quod Ariani obijciebant) in Sacramentū quod ibi nullum fuit, committere potuisse. Ex hoc itaq; D. Athanasij responso, & aliorum Sanctorum Patrum dictis, quæ citat, talem fecit Pater Arturus thesim 22. Si quæ ergo Sanctis Patribus, si quæ conciliis, si quæ Scripturis ipsis fides habenda est; Lutherani & Caluiniani cùm laici prorsus existant, Eucharistiam conficere minimé profecto queunt. *Quin igitur* (addit Anonymus, scil. cet fidelis in proferendis authorum locis scriptor) *Potiori iure* (nam nusquam ibi hæc verba reperiuntur) *cum Ischyra absq; scelere huiusmodi prophanos Ministros, qui Sacerdotis munera obire nō verentur, à mensa abstrahere, ipsáq; adeo mensam euertere, poculum deniq; eorundem confringere* (addit & hic Patronus (*Impunè* cum illi soli impune mentiri fas sit,) *liceat.* Atq; hanc conclusionem, reliquæ illarum thesium Patris Arturi structuræ, vt colophonem, ait Anonimus esse impositam. Sed vt in refferenda tota assertione, turpissimé hallucinatus est, cùm & caput eius, vbi Sanctorum Patrum, Conciliorum, Sacræ Scripturæ authoritas allegantur

gatur, vt sibi invisũ absciderit,&mediás extremasq; conclusionis par tes,pro sua libidine deformari :ita & in illi⁹ denominatione, nescio an stultiùs quàm inpudentiùs errauit. Maluit scilicet eruditus magis videri, quàm verax esse, ideo thesim illam colophonem appellauit. Sed sicut veracis,ita & eruditi nomen amisit:neq; enim mendacijs vel erroribus, vnquam doctrinæ laus comparatur. Puto Annonimum in hac voce, vt quæ Græcarum literarum notitiam arguit, sibi multum complacuisse, sed vim illius minimè intellexisse. Colophon enim non quiduis perperam significat; sed hac voce in ea phrasi duntaxat vtimur, qua aliquem suo operi extremum iam apicem, fastigium, ac summam manum imposuisse significamus, cùm Colophon latinè id quod extremum in vno quoq; opere fit significet;at thesis illa citata, non est extrema, cùm multæ aliæ eam sequantur.

Sed non hic finis errorum, Theses hæ anno 1586. Posnaniæ fuerunt defensæ, at ille id 1590: dicit factum esse, quo anno iam in viuis non erat ille Pater. Nescio sanè stultitiamne ipsius magis mirer in fingendo, an impudentiã in calumniãdo, Deinde itañe in Philosophicis ac Theologocis disciplinis est rudis ac peregrinus, vt theses in eis proponi, non disputandi & veritatis indagandæ gratia putet; sed ad animos in seditionem armandos, ad exurendas synagogas Hæreticorum, ad nocendum Ministris Euangelicis eas scribi, & inter Scholarum parietis excuti existimet? Ex suis præceptoribus de nostris coniecturam facit, qui rudes puerorum animos,in primis adhuc elementis ad hanc impietatem informant, & nihil aliud quàm in Ecclesiam Dei, in summos Antistites, in Catholicos omnes calumnias, & mendacia auribus ipsorum inculcant: hoc inter authorum explicationem, hoc in puerorum lucubratiunculis perpetuò versant. Iam verò cùm theses illæ publicè,coram Illustrissimo *Marsalco* Regni, & alijs magnis viris Catholicis fuerint defensæ, quas & legerunt ipsi; cur tamen non reprehenderunt ,nec quicquam periculi ex iis in eos,quos vos nescio quo iure appellatis Euangelicos, deriuari posse sunt suspicati? Dissimulassent scilicet id ipsi Euangelici, vt Palatinus Posnaniensis Comes â Gorka , & alij qui ea tempestate acerrimi fidei vestrę perfidę propngnatores fuerunt ac defensores: si quod contra suas ac tuas synagogas, aut Ministros, in illis thesibus notauissent incendium. Deinde quomodo theses illę post eius diei disputationem, animos iuuentutis nostræ, in Hęreticos armare potuerint, cum (vt apud nos thesium postquam defensę sunt, nullus est vsus, amplius) non comparerent & vix alicubi poterant inueniri.

Certè

Certè ipse ego qui in Societate à 20. annis & amplius viuo, nihil de hisce conclusionibus vsq; adhuc audiui, nec eas vnquam vidi aut legi, imò nec sciuissem vnquam de eis, nisi illas nunc per ocasionem istam inspexissem, quarum tamen ægré vnum exemplar, in Bibliotheca iam ferè à tineis consumptum inueni. O nimis vel timidos, vel calumniandi cupidos Euangelicos, qui ab ijs rebus periculum metuunt, quæ iam vix extant, Tandem an rectè Anonymus thesem illam ad probandum, Iesuitas suam iuuentutem ad nocendum Euangelicis excitare, assumpserit, ipse videat. Certè Pater ARTURUS non aliud, quàm quod Sancti Patres in sua illa thesi intellexit, cum scilicet qui Ministrum Euangelicum ab altare abegerit, & mensam euerterit, calicemq; confregerit, id facere posse sine scelere in Sacramentum Eucharistię (quid tandem sit de alijs) cùm nullum ibi contineatur, nec alio nomine illam conclusionem defendit aut defendere potuit.

Vestrorum hoc est potiùs Ministrorum, vestræ doctrinæ, ac professionis Euangelicæ, turbas excitare, suos ad nocendum Catholicis impellere. Legite vestri Caluini Epistolam ad Protectorem Angliæ, qua illum ad cædem Catholicorum, quod reformationem fidei nollet recipere, vrget. *Hi (inquit ille, Catholicos designando) vltore gladio coërceri merentur quem tibi Dominus tradidit.* Legite & Theatrum crudelitatis Caluinistarum, peragrate vniuersam Germaniam, adite Belgium, consulite Angliam: vbiq; luculentissima vestræ crudelitatis, vestrorum tumultuum inuenietis vestigia. Quis in Germania subditos contra suos Dominos armauit; Quis in Belgio per plurimas ciuitates tot strages edidit? Quis in Anglia in Catholicos, eorumq; fortunas, in tot homines Religiosos ferro & omni genere crudelitatis debâchatus est? Nolo exempla, ne actum agere videar, huc adducere, cùm ijs tot alij Scriptores suos libros impleuerint.

Legite quid de solis Hugonotis, Ludouicus Richeomus, in suo opere, quod Idololatriam Hugonoticam inscripsit, & Henrico quarto Regi Galliæ dicauit, scriptum reliquerit, quas cædes illi in Gallia exercuerint. alios quidē Catholicos é rupibus altissimis ac turribus in saxa pręcipites deijciendo, alios in profundos puteos cateruatim detrudēdo, aliā in alios sęuitiā crudelitatē ac barbariem exercendo, imo & Sanctorum Reliquias vel per ludibrium tractando, vel immaniter in eas sæuiendo, quod ille Argumentum latissimè persequitur. Hæc est Euangelicorum Ministrorum laus, hæc doctrina, hi

na, hi mores. Et ne quid ad ipsorum laudem pertinens ommittã, hic coronidis loco ipsorum encomia, ex præfatione monitoria Iacobi Regis Angliæ addam. Hic itaq; Rex suos Caluinistas, quos ille Puritanos appellat, ait esse, *homines perfidos, furtosos, & incendiarios, legum imperijs reluctantes, peruicaces, pluśq; se fidei reperisse in efferis latronibus, quàm in Puritanis asseuerat.* Addit præterea, *se non solum á natiuitate continuò vexatum fuisse á Puritanis, sed etiam in vtero materno prope modum extinctum, antequam nasceretur.* Ac tandem, *se in suo libro ad filium, multó acriùs & vehementiùs in Puritanos, quàm in Pontificios inuectum esse testatur.* Hæc encomia, has parænefes non á me, sed á Religionis Euangelicæ defensore & propugnatore, vt vos eum appellastis, accipite: & cùm vos ab his omnibus probè purgaueritis, tunc primùm in nobis ac iuuentute nostra, ea quę obijcitis facinora, iusté inquirere poteritis.

CAPVT OCTAVVM.

Non abutimur insolentia studiosorum, ad turbas excitandas.

LOngior fortassé ac tædiosa, hæc mea tractatio de nostris Scholis, & studiosa iuuentute, cuiquam videbitur, nec Torunensibus adeò grata; cùm in hac feré vna re, omnium illorum contra nos querelarum cardo vertatur. Haud illibenter tamen, in hanc arenam descendo, vt & Torunenses, licet id iam à compluribus præstitum sit, omni metu liberem, ne sibi, aut suæ ciuitati à nostris discipulis metuant; ac de nobis semel sibi aliquando persuadeant, nos, si quid aliquando illi, pro suo iuuenili feruore ac licentiâ perpetrarînt (quod rarissimum est,) hac eorum insolentia, ad tumultus aliquos excitandos minimé abuti, nec authores facti existere: imò in disciplina continere, omnem insolentiam seuerè prohibere, inobedientes plectere Vt ergo Anonymus probaret id, quod nunc diluere statui, assumpsit exemplum de direptione domus Domini Przeborowsky. Historiam non repeto, vt pote notam omnibus. *Noluistis inquit, Iesuitæ dedere eos, qui incendij illius ac direptionis rei erant, & apud vos receptaculum habebant, & arestum eorundem recusastis, priuilegia obtendentes*, quæ ille æquitatis & iustitiæ dicit debere esse receptacula: quasi vero priuilegium ex sua notione, non sit quædam á communi iure exemptio, quæ quibusdam locis, siue ob reuerentiã, siue

 ob alias

ob alias causas solet concedi, vt in illis iustè id fiat, quod in alijs cum iniuria & scelere, atq; etiam contra leges fieret. Cur ita? *quia ipsi rei incendij illius, imò & authores fuistis, & metuebatis ne si incendiarios illos dederetis, illi vestra consilia & conspirationem detegerent.* Difficile sane, & cui diluendo impar sim, argumentum, in quo ita sibi applaudit Anonymus, vt omninò comprehensos nos & captos, ac in extremas redactos angustias existimet.

Sed agedum, disceptemus parum Torunenses, ne ante prælium trophæa erigere videamini, Sequiturne ex præmissis illis? (cum philosophis enim loquor) *Noluistis dedere reos & arestum recusastis propter priuilegia, ergo sceleris ipsorum conscij, imò & authores extitistis.* Quis vel rudissimus, qui philosophicas disciplinas ne à limine quidem salutauit, hanc non probationem, sed stultissimam calumniam esse non dixerit? Ergo ne Sanctissimi illi Antistites (quod D. Chrisostomum fecisse Baronius perhibet annalium Ecclesiasticorum Tomo 5.) dum eos qui scelere perpetrato, ad Ecclesiam confugerunt, prodere nolebant, ob priuilegia quibus loca sacra & domicilia Religiosorum gaudent, illico facinoris ipsorum conscij ac authores, extitisse censendi sunt? Quis hoc nisi Hæreticus & impius dicet? Sed vobis Hæreticis, perperam quidlibet ex quolibet, contra Iesuitas inferre licet. Atq; hoc est patroni Torunensium argumentum.

Verùm ne in ipsis hæreamus principijs, videndum est quàm apposité illo exemplo, ad probandum Iesuitas abuti studiosorum insolentia, ad turbas excitandas, fuerit vsus Anonymus. Heus bone vir, fueruntne illi nostri discipuli? asseueras. at te totius Ciuitatis Posnaniensis testimonio palàm conuincam, quæ opifices illos & non discipulos nostros, fuisse optimè nouit, & authenticam attestationem huius facti in sua curia habet: imò quandoquidem Serenissimus Rex nouam inquisitionem, de exustione Synanogæ illius Posnaniensis & direptione domus Domini Przeborowski, fieri iusserit, ex ea longè clarius idipsum intelliges, & Authorem totius illius Tragediæ, Hæreticũ quendã fuisse disces. Ex hisne tu argumentũ sumis, nos insolentia discipulorũ abuti? at quid nobis cũ opificibus, imò quid & cũ Hæreticis qui extra nostrã disciplinã sũt? Deinde, è nostrane familia domestica, opifices illi fuerant? An non Ciuis ille, qui opus apud nos conduxerat, suos illos operarios domũ nostram, ad opus perficiendum mittebat, ita tamen vt pro nocte domum semper redierint? Quid ergo in nobis vitij subesse potuit, si illi sub noctem domum redeundo, siue casu, siue ex composito illi incendio & direptioni

interfuerint;

interfuerint? Venerũt ergo illi more solito postridie mane ad Collegium, vt factum illud contigit: nobis omnino inscijs quid commisissent, vt in cæpto labore pergerent. Ecce tibi nomine Magistratus, certus homo, ad nostrum collegium aduolat, cùm nusquam illi domi apud Patremfamilias essent inuenti Suntne, inquit, hi & hi domi vestræ? annuimus, tùm ille, dedere eos oportet vt homines facinorosos: nos id salua conscientia, nequaquam facere posse respondimus, imò nec eos inde vi abstrahi posse, ob priuilegia quibus Ecclesiæ & Cænobia gaudent. Consilium tamen in promptu damus, è re futurum, si tantisper ante ianuam domus, præstolarentur, vel custodes ponerent, atq; exitum illorum, si quidem, diu apud nos manere non possent, obseruarent. Non fecerunt isti, at illi vespere appetente, per noctis tenebras, fugâ saluti suæ consuluerunt. Quod cùm ita sit, qua fronte vos Torunenses, tantam criminationis notam, nostræ Societati inurere ausi estis? qua fronte & illam aliam sequelam, ex hoc principio tam absurdo deduxistis, nos discipulorum insolëntia, ad vestram ciuitatem perturbandam abuti? Sed latet hîc anguis, vt vos dicitis, imò non latet, sed apertè & palàm serpit serpens mendacij, odij, & calumniarum in nostram Societatem. Hæc est enim vestra, ingenuè enim vobis fatebor, Torunenses consuetudo, Vt quæcunq; maleuolo animo, odium & indignatio suggerunt, ea contra nos in omnibus circulis, in conuentibus Nobilitatis, in Comitijs impudenter effutiatis, atq; vtinam tantum contra nos. & non etiam contra præcipuos Regni Senatores, & Principes, imò & contra ipsum Regem Serenissimum, quod ego non ex aliquo priuato homine, sed ex literis Illustrissimi Antistitis Culmensis ad me XI. Febr. Anno 1612. datis luculenter, licet non sine dolore, intellexi: cùm eum de vestra protestatione contra nos facta, ob apertas Scholas totius Regni voluntate, certiorem faceremus.

Sed fidei causâ, paucula quædam ex his literis accipite. *Sperabam fore* (ita ille suam exorditur epistolam) *vt Torunenses meæ acquiescerent admonitioni, & rationibus, quibus ad oculum illis ostendebam, eos iniquè de iniuria queri, quod Scholæ aperirentur, & literarum studia inciperent. Sed video, quòd odium, & liuor, & maleuolentia, quâ contra vos feruntur & ardent, eos ne hæc acciperet impediant. Vnde hanc protestationẽ fecerunt suo stilo & phrasi Germanica* (neq; enim quispiam prudens practicus sic fecisset) *sat pungenti ac mordaci; non tantum contra vestrum Ordinem, verum etiam non obscurè Regem Serenissimum tangunt, & me licèt non ita apertè, mordent.* Hucusq; Illustrissimus Episcopus. Quare videte Torunenses

nenses, ne dum talia, per occasionem criminando nos, in tales viros audetis, in eas vos conijciatis angustias, ex quibus postea difficulter emergatis.

Sed deplorandam nostram sortem, qui in ea tempora incidimus, vt quidquid perperam á quouis fiat, id à nobis, aut saltem conscijs, atq; etiam authoribus nobis factum esse, dicant Torunenses cum suis Euangelicis. Plané redijsse nobis videntur, illa Tertulliani tempora, in quibus, vt ille testatur, quicquid triste accidisset, siue imbribus sæuis, aut aquarum eluuione agri maderent, siue acribus solis ardoribus torrerentur, quidquid demum in bellis, in ciuitatibus, calamitosum conspectum fuisset, totum in miseros Catholicos, & in scelera ipsorum, perditi Idololatræ conferebant. Quid enim nobiscum habet, illa Euangelicorum è Cracouiensi ciuitate expulsio? Quid illa Synagogæ eorundem in prædio Nobilis cuiusdam exustio, cùm Cracouiæ nos nullas Scholas habeamus? Et tamen impudens hic Anonymus audet dicere: *Vt vt sit, inquit, vestra tamen vitula aratum fuit.* Cur ita? quia illi ita placet, quia calumniari libet. Nouerat benè cau͂ā hanc, á Magnifico Rectore Academiæ illius, viro doctissimo & solertissimo, benè fuisse examinatã & iudicatã, tẽperare tamẽ sibi non poterat, quin hanc obsoletam fabellam, & crimẽ impiè in nos conijceret. Sed parcendum illi est, aggressus enim opus, vt contra nos famosum libellum scriberet: cùm, quo illum infarciret, non haberet, ad absoletas Hæreticorum cantilenas, & veteres nænias eum confugere oportuit.

CAPVT NONVM.

Templum D. Ioannis, ædem Parochi & Scholam, nec vi, nec mala fide Torunij possidemus.

MIrari satis non possum, hanc calumniam sine fronte, toties nobis á Torunensibus imponi, cùm iam ad eam millies responsum habuerint, non à nobis solum, sed & ab ipso Serenissimo Rege, & ab aliquod Antistitibus Ecclesiæ Culmensis. Sed & proximé Orator noster, eam clarissimé confutauit: quomodo inquit ille, ista Iesuitæ per vim occuparunt, qui magna voluntate Parochi, penes quem ius erat, ad illa inuitati sunt? Hoc Oratoris argumentum, quem Patronus Torunensium, quia impugnandum suscepit, ita refellit. *Fraudem hic vestram, inquit, Iesuitæ detegere*

omnibus

omnibus cogor. Ostendam vos, tunc temporis cùm Torunenses adhuc essent in possessione templi D. Ioannis, & exercitia ibidem Religionis suæ Euanuangelicæ celebrarent; dolo malo egisse, apud Reuerendissimum Episcopum Culmensem Kostkam, vt ædes Parochiales templum & scholam ciuitatis hæreditariam, vestro Collegio & Ordini incorporarentur Magna equidem Anonymus pollicetur, & fraudes nostras se detecturum, & dolo malo nos egisse in possessionibus illis comparandis ostensurum. Sed agedum, quomodo rectè fidem suam exoluat, quibusue id quod promittit, stabiliat argumentis, breuiter inspiciamus. *Ostendite, ait ad nos orationem conuertendo, fundationem vestram, quam surreptitio modo à prædicto Episcopo, qui ius fundandi vestrum Collegium, in ciuitate Torunensi non habuit, obtinuistis. Quia verò ista fundatio Radzinensibus actis à vobis insinuata est, ad eam vos Illustrissimi Senatores & Equites Poloni remitto, ex qua integrum est vobis intelligere, Iesuitici spiritus omni fronte carentem astutiam.* Egregium, nisi totum è calumnijs & commentis, conflatum esset, argumentum: in quo Torunenses quia cum vestro Patrono, petitis vobis ostendi nostram fundationem, quam non semel legistis, ex illa enim fraudes & dolos in nos deducitis, producam ego illam: quæ si contra vos nihil faceret, perfecissetis procul dubio id quod intendistis, ita vt iam non esset necessarium remmittere Senatores Equitesq; Polonos, ad videndam eam in castro Radzinensi, & ad cognoscendam nostram, omni fronte carentem astutiam. Sed num ita sit, iam ipsum diploma fundationis Collegij nostri, à me productum, iterum legite, & an surreptitia sit (quod falsò prætenditis) expendite & iudicate.

PRIVILEGIVM SERENISSIMI Regis.

Sigismundus Tertius Dei Gratia Rex Poloniæ &c. Significamus præsentibus literis nostris, quorum interest vniuersis & singulis, exhibitas esse nobis omnino & ex parte Patrum Societatis IESV, literas infrascriptas papiraceas, manibus Reuerendissimi olim Petri Kostka à Stemberk Episcopi Culmensis, atq; Venerabilis Andreæ Mirkowski Torunensis & Culmensis Plebani subscriptas, sigillisq; eorundem atq; Venerabilis Capituli Culmensis munitas, Fundationem & Erectionem in ciuitate nostra Torunensi, Collegij dictorum Patrum Societatis IESV in se continentes, sanas, saluas & illæsas omniq; suspicionis nota carentes. Supplicatumq; nobis & vt eas authoritate

nostra

nostra Regia approbare, & confirmare dignaremur. Quarum quidem literarum de verbo ad verbum tenor est talis.

IN NOMINE SANCTISSIMÆ & indiuiduæ Trinitatis Amen.

Nos Petrus kostka à Stemberk Dei gratia Episcopus Culmensis & Pomesaniensis perpetuus administrator. Significamus tenore præsentium quorum interest & interesse debet. Quòd statim vt, ad hoc munus Episcopale Dei gratia sumus euecti, eam curam & cogitationem susceperimus, vt gregi nostro varijs Heresum erroribus imbuto, auxilium ferre possimus. Quem conatum nostrum, promouit quidem Dominus, per varios Ecclesiæ Dei, diuersorum instituti Religiosi ordinis, & alios Ecclesiastici ordinis operarios. Sed ecce quod nos ab initio functionis huius nostræ, hactenus semper vehementissimè cupiebamus, oblata est nobis occasio, vt de Societatis Collegio fundando seriò cogitare, & re ipsa perficere velimus, quo non solum concionibus, & alijs ministerijs Societatis IESV homines, quæ iuxta suum institutum vbiq; non sine fructu exercere solent: sed etiam iuuentutis, in literis, pietate & moribus recta institutione, conatum hunc nostrum & successorum nostrorum promoueant. Matura itaq; deliberatione cũ venerabilibus Illustribus Prælatis & Canonicis Capituli nostri, & alijs amicis præ habita, Collegium Societatis in ciuitate Torunensi Regia, cum consensu Regiæ M. erigere statuimus, prout erigimus in nomine Domini per præsentes. Ac locum pro habitatione hominum Societatis IESV aßignamus, domum Parochialem, postulante ac consensum ad eam rem præbente Domino Andrea Markowski, legitimo moderno Parocho & Possessore, cum omnibus suis ædificijs, areis & attinentijs, tam longè tam latè, vti suis terminis est antiquitus distincta. Addimus & scholam eiusdem Ecclesiæ Parochialis, domui dictæ contiguam, pro scholarum Societatis IESV vsu. Designamus præterea quodcunq; sacellum, in ipsa Parochiali S. Ioannis, quam primum ex manibus Hæreticorum, per Parochum vindicata fuerit, pro vsu Societatis perpetuis temporibus: ita tamen vt in eadem Ecclesia licitè sacra facere, & concionari, & Sacramenta quæ solet Societas iuxta suum institutum administrare poßit, citra cuiusq; etiam Parochi impedimentum. Ne verò Parochus præsens & successores eius pro sua & sacerdotũ habitatione domo, ac pro schola sua careant, aßignamus perpetuis temporibus Domum viciniorem Macellis Ciuitatis, quæ est Fraternitatis, in qua hoc tempore Sacerdotes manent, pro schola autem vel hac domus in qua scholares Catholici, quos vocant Choralistas habitant vel alia ex antiquo ad Ecclesiam S. Ioannis pertinens, à nobis vel successoribus nostris cum Venerabili Capitulo procurabitur.

Quoniam verò Generosus Dominus Ludouicus à Morthang Capitaneus Pokrziuinensis, Cupidus promouendæ gloriæ Dei, cum Generosa Domina Anna coninge, Generosi Domini Ernesti weiher Pucensis Capitanei, procurante Religiosa ac deuota Magdalena Abbatissa Culmensi, sorore sua germana, Domum intra mœnia ciuitatis Torunensis lateritiam à Parente suo ædificatam vicinam templo B. Mariæ V. donare, resignare, societati constituit, & hanc domum pro hoc Collegio cū omnibus suis attinentijs, prout ad acta ciuitatis prædictus Generosus Dominus resignabit, Collegio Torunensi applicamus, vt ea pro suo arbitratu Societas vtatur.

Ad dotandum verò hoc Collegium, assignamus imprimis villam kowroz in Palatinatu Culmēsi quā prædicta Religiosa & Deuota Magdalena a Mortang Abbatissa Monasterij Culmēsis, collectis Eleemosynis à varijs pijs hominibus, in eum vsum emit, cum omni iure, Dominio cum omnibus fructibus, vtilitatibus, syluis, piscinis, pascuis perpetuò habendi possidendi, fruendi, Addimus & villā Ostaßewko in Palatinatu Culmensi, a Monasterio Culmensi, a nobis cum Venerabili Capitulo, per commutationem Monasterio æqua vtilem acquisitam, cum consensu Venerabilis Capituli nostri, cū omnibus similiter fructibus, vtilitatibus præsentibus & futuris, cum omni iure, & Dominio, ita late & longe, vt hactenus suis limitibus fuit distincta.

Vt autem hæc fundatio ac dotatio firmius robur habeat, dabitur a nobis opera, vt posteaquam ad effectum ea res perducta fuerit, regia authoritate confirmetur. Obligamus præterea nos nostrosq; successores, cum Venerabili Capitulo. nil nos ex præsenti ordinatione vnquam perpetuis temporibus mutaturos, nisi postulantibus vel assentientibus Patribus Societatis IESV, & si opus fuerit alia ordinatione, quæ circa vsum templi re maturius considerata, a nobis & a successoribus nostris, describetur, Patribus ad omnia consentientibus. Ad extremum Collegium hoc Societatis IESV, cum possessionibus omnibus & personis, in patrocinium nostrum ac Successorum nostrorum & Venerabilis Capituli, recipimus temporibus perpetuis. Actum & datum Plowzy in Curia nostra, Nona Iulij Anno Domini Millesimo Quingentesimo Nonagesimo tertio. Petrus kostka Episcopus Culmensis Andreas Markowski Plebanus Torunensis & Culmensis.

Nos itaq; supplicationi prædictæ, pro eo quo in promouendum cultum diuinum propensissimus, benignè annuentes, literas præinsertas, ac earum omnia & singula contenta, rata & grata habuimus, authoritateq; nostra approbanda, & confirmanda esse duximus. vtiquidem rata & grata habemus, approbamusq; & confirmamus præsentibus, decernentes eas vim & robur perpetuæ firmatis obtinere debere, bonaq; superius recensita, pro Collegio prædicto Torunensi assignata, inquantum vsu & possessione eiusdem Collegii in præsens extant, libertati & immunitati Ecclesiasticæ ex nunc asscribimus & incorporamus

perpetuò, & in æuum. In cuius rei fidem præsentes manu nostra subscriptas, sigillo regni communiri mandauimus. Datum Varsauiæ in comitiis Regni generalibus die XXVI Mensis Octob. Anno Domini M. D. C. XI, Regnorum nostrorum Poloniæ XXIV. Sueciæ verò Anno XVIII.

En Torunenses vt optabatis, diploma fundationis Collegii nostri Torunensis habetis. Legistis illud? expendistis? intellexistisne in eo apertè, vel occultè nos egisse, & quidem dolo malo, vt templum, domus, & schola, nostro Collegio incorporarētur: & quod peius est surreptitio modo, vt vos loquimini, eā fundationem obtinuisse? An non disertissimis verbis Serenissimus Rex, cui tandem si nobis non vultis, credite, literas fundationis saluas & illæsas, omniq; suspitionis nota carentes, sibi oblatas esse, pronunciat? An non Episcopi prædicti manu & Parochi Markowskj subscriptas, sigillis eorundem ac Venerabilis Capituli Culmensis munitas testatur? An non expressum in hoc diplomate habetis, non nostro rogatu, neq; nostris consilijs, nos Torunium inuectos, sed ipsū Episcopum à multis ante annis id cogitasse, & nonnisi post maturam deliberationem cum Venerabilibus Fratribus, Prælatis, & Canonicis Capituli Culmensis, & aliis amicis susceptam fecisse? Expetiit hoc Episcopus, & Serenissimi Regis assensum obtinuit. Quid verò de consensu Parochi querimini? An non luculentissimè in diplomate legitis: Postulante & consensum ad eam rem præbente, D. Andrea Markowski. Consulite caput si quod habetis Torunenses, & num vera sint ea, quæ nobis obijcitis perspicite. Quid enim? num in hac nostri Collegij s fundatione, Serenissimum, Regem, ipsos Episcopos Culmenses, multos viros prudentes qui hanc causam tractarunt, ipsum deniq; Parochum errasse creditis, fraudem dolumq; non vidisse? Vos solos scilicet acutos, perspicaces, ac prudentes viros, errorem deprehendisse, fraudem dolumq; notasse. Deinde vt singula breuiter in vestro argumento perstringam, ideo ne nostri Collegii fundatio, fraudis doliq; suspicione non caruit, quia instituta erat sub illud tempus, quo vos templum D. Ioannis, certè si non vi, nullo saltim iure possidebatis, vt iam paulo ante ex literis Illustrissimi Tylicki ostendi, & adhuc inferiùs pluribus ostendam, eo q; ad vestros Hæreticos ritus abutebamini? Ergone parochus nos ad illud templum sibi a Serenissimo Rege collatum, qui patronus illius erat, & quod ille vobis nolentibus volentibus, non vi sed iure è manibus extorsit, vt cooperarios in partem laboris ante quam extorsisset, inuitare non potuit?

Sed

Sed Patronus non fidens nimium illi suo argumento, vt pote qui de nostra fundatione, feré toti Poloniæ nota, inscius esse non potuit, ad exclamationes, ad mortuorum contestationes confugit: vt quod rationibus probare non potuit, verborum saltem Emphasi & circuitione aliquomodo coloraret, & imperitæ multitudini probabile faceret. *O si inquit Markowski viueres, aliud testareris, qui in faciem Iesuitis vt ex Torunensibus audiui, dicere non erubuisti, Iesuitas tecum mala fide egisse, & recognitionem quandam suam priuatam, à te per vim extorxisse. Vnde factum est vt Torunenses, te eiectum vicissim volentem, & annuentem in integrum restituerent. Quid mihi respondebis Iesuita?* Audi. Si Markowski viueret, te sine dubio cum tuis Torunensibus, turpissimè hallucinatum esse disertissimè testaretur. An non ille viris fide dignioribus, dum viueret toties testatus est, se optasse à multo tempore nostros habere Torunij, idq; curauisse & effecisse, ædesq; suas vltro nostris concessisse. Testis est huius rei Illustrissimus Episcopus Cracouiēsis, qui primus nostram Societ: Torunium introduxit, atq; in eius possessionem domum, & scholam Porochialem tradidit, consentiente, imo etiam idipsum vrgente Parocho Markowski: idemq; sacellum templi ac pulpitum per suum Cancellarium R. D. Ioannem Pisinski, & Notarium Kalwinski dictum, legitimé nobis tradidit. Idem testatur in suis ad vos literis Illustrissimus Gebicki iam sæpiùs nominatus. *An nō videntibus vobis, inquit ille, licet reclamantibus, Patres Societatis fuerunt Torunium introducti ab Antecessore meo? An non vltra decennium in ea domo habitarunt, publicé docentes in templo, publiceq; pietatis & religionis officia exercentes? Quod igitur nouum istud vestrum erga Parochum studium? Quæ tanta cura tuendi ipsius iuris, vindicandæ videlicet possessionis? Num ad vos, opemq; vestram & præsidium confugit? num ad exturbandos iniquos occupatores, cohortes à vobis ciuiumq; turmas, quas commouistis poposcit? mini me id quidem, vestris conatibus quoad potuit restitit: & deinceps etiam quæ ad eius contumeliam inuito & renitente peregistis, nobis adiuuantibus constanter iusto, legitimoq; iudicio vindicabit.* Et infra. *Cùm ad Prætorium vestrum citati à vobis R. P. Societatis non venirent, Parochus autem intercederet, & sua Episcopiq; voluntate, illos domum inhabitare, seq; illorum subsidiaria in obeundo officio vti opera contestaretur, vos vestra illa Regia, quam Torunij gerere vos profitemini potestatem, homines innocentissimos aliena domo, facto in eam impetu exturbastis. At tritum illud est & omnium Iurisperitorum doctrina firmatum, non debere quenquam etiā de iniusta possessione depelli, nisi prius iure vincatur. Igitur quod qui iure & legibus agunt, ne in prædones quidem solent admittere, vos in honestissimam Societatem ausi estis.* Hæc ille. Sed neq;

Ill. D. Fabianũ Plemiencki omittã, virum inprimis Regi ac Reipub. fidissimum, & Catholicæ religionis ac bonorum omnium acerrimum propugnatorem ac defensorem, quo nullus rei qua de agimus, testis locupletior esse potest. si quidem ille nostris Torunij degentibus, in patronum singularem, imò fere in parentem sit datus. Hic ergo in omnibus angustijs & calumnijs, quas à vobis patiebamur, nobis dicere solebat. *Magno inquit animo sitis Patres: tanti conatus Hæreticorum Torunensium contra vos, desperationis sunt indicia. Quia enim præclare sibi conscij sunt, nihil æquitatis contra vos se habere posse, ideo conuitijs & extra ordinarijs medijs rem adoriuntur.* Sed libet hanc adeo prolixam controuersiam, ipsius Parochi Torunensis D. Markowski testamento claudere: in quo ille præterquam quod honorificentissimè, de nostra Societate loquatur, tantum abest, vt ab ea se aliquam iniuriam accepisse dicat; vt & pro susceptis laboribus, tanquam pro summo beneficio, ingentes ac æternas gratias agat, vnde & in signum grati ac benefici animi, suam bibliothecam præter quædam alia, Collegio Torunensi attribuit.

Videtisne Torunenses meram calumniam esse, dicere, Iesuitas fraude & contra voluntatem Parochi, sedem Torunij obtinuisse? videtisne quàm verè Illustris D. Pliemencki de vobis pronunciauerit, vos non aliqua æquitate aut spe obtinendi quod desideratis, contra nos agere, sed ob desperationem assequendi, ea quæ cupitis, omnia tentare, nihil intactum relinquere? Quid enim nos nescio de quibus recognitionibus priuatis per vim, à Parocho extortis? quid de sureptitijs fundationibus calumniamini? qui tam disertam Parochi voluntatem, tam luculenta Regis, Episcoporum, ac totius Regni diplomata conspicitis: priuatasne nos aliquas, ac per vim à parocho extortas, recognitiones afferim⁹? priuatané & surreptitia fũdationis nostræ diplomata, vobis exhibemus? quæ Episcopus publica authoritate, totiusq; Capituli nomine scripta, sua propria manu subscripsit, sigilloq; muniuit, quæ ipse parochus Torunensis, vltro non impulsus, imo rogatus an sponte domo sua, nostræ Societati cederet, an sponte nos in cooperarios Ecclesiæ admitteret, pulpitum traderet? palam affirmauit, approbauit, quin imo vt idipsum Episcopus cum Venerabili Capitulo, ratum esse velit rogauit, diplomati nomen subscripsit, sigillum apposuit. Et ne quid ad certitudinem ac firmitatem huic rei deesset, ipse Serenissimus Rex, hanc Episcopi & parochi voluntatem, publica attestatione, sigilloq; Regio, firmataq; esse voluit. Hæccine vobis Torunenses, priuata, surreptitia

ac pe-

ac per vim extorta diplomata, & recognitiones esse videntur? Certè hæc vestra criminatio, non nisi ex priuato vestro in nos odio, ex surreptitio iudicio, ac planè per vim, eamq; maximam extorto argumento, proficisci potuit. Vestræ sunt istæ technæ Torunenses, vestram religionem tales artes, nempè fraudes, doli ac vis decent: qui Monasterium Virginum eiusq; possessiones compilastis, qui in Cænobium PP. Franciscanorum & bona eorundem violenter inuolastis, qui ipsum D. Ioannis templum iniuria vobis vendicastis, & in eius possessione vt permaneretis, omnem lapidem mouistis, & mouetis adhuc. Hæccine fuit, libet enim hic exclamare verbis vestri PAtroni, hæccine inquam fuit Torunenses, mens maiorum vestrorum, dum templa ac Monasteria ad Numen Diuinum placandum erigerent atq; ijs amplas dotes assignarent, vt scilicet in ijs Sacrosanctis ac Deo dicatis domicilijs, Hæretici Ministri, vxoribus stipati, magnaq; liberorum turba circumuallati manerent, Diuinum Numen blasphemis vocibus ac ritibus violarent? Itane augustum illud Deiparæ Virginis templum ac Monasterium erexerunt, vt in eo Minister Hæreticus, Augustissimam Dei Parentem, sacrilego ac blasphemo ore proscinderet, indoctam plebem improbus, scelesta oratione ad facinora impelleret, ad neglectum legum Diuinarum, ipsiusq; Diuini Numinis contemptum incitaret? Non erant ita impij maiores vestri Torunenses, sed vos degeneres in eam, impietatem ne an amentiam dicam! prolapsi estis, vt quod illi in honorem æterni Numinis esse voluerunt, vos in eius contemptum conuertatis.

Sed nil mirum videri debet, cur hæc faciatis, non enim religionem, sed vestrum regimen amplificare conamini, non altaria, sed calcaria vestra ornare contenditis, & vbi aras & religionem prætenditis, ibi apertissimè, focos, & vestram auaritiam præ vobis fertis, Quòd ita perspicuum est, vt qui hoc neget, solem mihi dum medio cœlo feruet, lucere negare videatur, & ego iam Cap. 3. luculentissimè docui. Sed manifestius fiet ad huc ex quodam exemplo mendaci & conficto quod Anonymus nostræ Societati attribuit. *Dicit ille Iesuitas aliquando Gregorium XIII Summum Ecclesiæ Antistitem, sollicitaße vt sibi Cænobium D. Pauli extra vrbem in quo Religiosi S. Benedicti manebant concederet, scilicet ob Monachorum illorum prolapsam disciplinam, & summum Pontificem nostris postulatis annuiße, verum dum ad occupandum illud cænobium venißemus, plagis nos à Monachis exceptos aßeuerat, & dum sat diu de poßeßione Monasterij cum Monachis altercaremur, ne mortem quidem Summi Antistitis illam controuersiam inter nos diremiße, sed tandem Sixtum V. eius*

 successorem

successorem seuerè nobis mandasse, vt negocium Monachis de illorum cœnobio facessere desisteremus, & aliena nonappetentes nostris cōtenti fūdationibus: videre se Monachos illos abūde suæ religiosæ obseruātiæ satis facturos, aut si forte ex aliqua parte pro humana imbecillitate prolapsa sit, sedulò restauraturos. Quot verba tot mēdacia. Vidistisne Torunēses hūc libellum Patroni vestri, antequā lucem aspexit, legistisne hæc figmenta, & tanta nulli fūdāento aut probabilitati innixa mēdacia? Miseret me equidē vestri quòd impudens hic Anonymus, hisce suis tam absurdis figmētis, apud omnes quicunq; libellū eius lecturi sunt, & quicunq; id intellexerint, vos traducat, & nomini vestro haud mediocriter detrahat: neque enim tenebrioni isti, cùm quisnam ille sit nesciatur, sed vobis, vobis inquam ipsis Torunenses, totum id quidquid est mendaciorum ab omnibus imputabitur, omnia hæc figmenta in vestrum caput recident. Neque enim nos latet, hanc totam infamem structuram, vestro suasu imo & iussu vestrum Cacoscholarcham & pædophorum esse ineptè fabricatum. Quis enim credet hoc & quis adeò animi impotens, ac de statu mentis deturbatus inuenietur, qui posteaquam historiam hanc legerit, aut ab aliis audierit, non eam continuo fabulam, atq; eam quidem absurdissimè confictam pronunciabit? vtpote quæ, nullum authorem habeat præter solum Anonymum. Certé ego à permultis viris grauibus & prudentibus, sum studiosè sciscitatus, & ab ipso Magnifico D. Pliemiecki qui morienti Gregorio, cui etiam familiaris erat adfuit, num aliquid super hac re scirent: sed nunquam se id non audisse solum, sed ne somniasse quidem constantissimè responderunt: quin & ego ipse totis, decem annis mansi Romæ, nec tamen quidquam super hac re, me vnqnam audiuisse memini, cùm tamen tanta res, ignota esse non potuerit illi ciuitati. Præterea ad quos suos vsus, illas Religiosorum ædes ac templum nostra Societas à Summo Pontifice obtinere voluisset? quid nobis cum illis habitationibus adeo longè ab vrbe dissitis ac remotis? quid cum templo, eo loco extra omnem hominum frequentiam, extructo? Nobis inquam, quibus de instituto est, cum hominibus conuersari, ac eorum saluti seruire? Deinde qua imprudentia talem petitionem nos instituissemus, & Sua Sanctitas admisisset? qua stultitia, non seruata forma iuris ac consuetudinis, Vi Religiosos homines Religiosi, in illa legum omnium ac iustitiæ cultrice vrbe, ex habitatis legitimè iam olim ædibus exturbare, violenter earum possessionem adire, turpissimè alienas facultates inuadere ausi fuissemus? Non ò non nos, sed te tuosq; Torunenses ac reliquos

vestri

vestri similes Hæreticos, alienorum crudeles raptores, Templorum ac Ecclesiæ bonorũ inuasores :hisce coloribus depinxisti Anonyme; atq; hanc fabulam de te tuisq; congerronibus dum narras, imprudens causam tuam infelix patronus prodis ac perdis. Nemo est qui vel leuiter nostri Instituti rationes cognoscit (cognoscunt autem plurimi) qui non subito ad huius tuæ narratiunculæ nænias, tuam in narrando ac patrocinando fidem in dubium reuocet, atq; palam in talia verba prorumpat: Hic homo mentitur temere, & meras ex tempore loquitur calumnias. Crediderim ne ego vera esse quæ cætera narrat cùm in re adeo euidenti fucum facere audet. Apage te cum tuis homo mendacissime commentis. Non aliam mihi crede, huius mendacij à quolibet, modò sana mente præditus legerit & rerum aliqua cognitione polleat, mercedem feres Anonyme. Ego autem certare tecum conuitijs nolo, neq; in te quicquam grauius statuere; tu tibi cum hac tua temeritate, atq; in fingendo audacia, satis pænarum es. Eiusdem farinæ sunt multa alia, quæ Anonymus contra nos scribit: de quibus ego, ne longius quàm par est, hoc caput producam, infra agam: quod dum facio, hoc velim vobis de me persuadeatis Torunenses, me non nisi cum stomacho hæc Anonymi mendacia, quibus ille, dum vobis patrocinari vult, improbè nomen vestrum lacerat, legere, & cum dolore, vestræ scilicet famæ consulendo refutare. Sed quia ille nobis talia obijcit, ne si tacerem, vera se dixisse arbitretur, omnino sunt refellenda.

CAPVT DECIMVM.

Veros Patronos iure Conferendi Parochiam templi Sancti Ioannis, non exuimus.

VErbis non ita facilé assequi possum, quantopere Torunenses doleant & conquerantur, quòd se iure Patronatus templi S. Ioannis exutos sentiant. Sed quàm meritò, se hoc ipsi dolore discrutient, & suis querimonijs, aliorum aures impleant, planè non video. Cùm enim hoc iure, aliquando se indutos fuisse probare non possunt, vt ego mox ostendam, mirum est, quomodo eo se à nobis exutos esse, quo nunquam induti erant, lamententur. Verum ne gratis id dicere videantur, illud pro sua parte afferunt argumentum. *Impetrarunt* inquiunt *Iesuitæ à Serenissimo Rege ius conferendi illam Parochiam, quod ius commune fuit illi cum ciuitate, ac pro-*

inde totum, illa inuita, ad Iesuitas transferri non debuißet. Hoc est Torunensium argumentum, sed quantum ponderis ac momenti habeat, breuiter discutiamus. Ac inprimis, vnde vos habetis Torunenses, nos aliquod ius á Serenissimo Rege impetrasse, aut saltem illud rogasse? Sed ad rem propius accedamus, cui vos innixi fundamento Torunenses, illud ius vobis cum Rege commune fuisse affirmare audetis? quasi verò Serenissimus Rex ita iniquus sit, vt iura aliena sibi vsurpet, & Priuilegia aliorum contra ius fasq; in alios transferat. Ecce Torunenses, quod maximè nollem, famæ vestræ, vt ante animum meum vobis declaraui consulendo, cogor vos infidelitatis & nullius obseruantiæ admonere, & quo in Serenissimũ Regem animo, atq; adeo in totam Rempub: sitis, quàm rebelli, quàm contumaci, quàm iniurio, omnibus manifestum facere. Annon insignis iniuria hæc est, affirmare. *Regem aliena Priuilegia & iura in alios, absq; illorum consensu, imò cum maximo detrimento & iniquitate, transfundere?*

Atq; dum ita turpiter se Anonymus vidisset impegisse, conatur quidem hunc suum tantum errorem, si tamen error, & non grauis in Sacram Regiam Maiestatem contumelia dici debeat, eleuare, sed nihil facit. *Ait enim, non incusare Torunenses S. R. Maiestatem, quæ tenacem omnium Priuilegiorum Ciuitatum, memoriam habere nequit, sed vos inquit incusant, qui in tergum eiusdem Ciuitatis Priuilegia eiusdem euersa, vestræq; libidini exposita, cupitis.* Acutos vos cum vestro tergo. Nullam Patronus, hic vester protestationem affert sine illo. Fortasse quòd sæpius illud in Schola virgis subiecisset, memoriam eius, quam tenacem habet, deponere non potest. Dedit ergo Rex quod non debuit, sed ex obliuione. O nimis debilem Serenissimi Regis memoriam, imò non illius tantum, sed etiam Senatorum Regni: quibus, priusquam Rex quidpiam decernat, hæc cura demandatur, vt quis sit rei illius status, quæ ciuitatis iura, quæ priuilegia, accuraté cognoscant? O nimis non tam labilem memoriam, quàm grauem in cognoscendis ciuitatum Priuilegijs incuriam & negligentiam; Sed si hoc pacto Regem excusatis Torunenses, quid est quòd in nos culpam confertis? Nunquid enim Iesuitæ, qui pro suę vitæ ratione, longè alijs rebus sunt intenti, vestrorum Priuilegiorum tenaciorem memoriam habere tenentur, quàm Rex, quàm Senatores, imò quàm vos ipsi? Quid enim? Cur, dum hæc fierent, in hoc vestro negocio tam graui indormistis, & in alijs quidem rebus seduli ac industrij, in hac sola tam incircumspecti facti estis? Cur vestros annales non reuoluistis, cur iura & Priuilegia non inspexistis? Cur Serenissimo Regi ex obliuione vestra Priuilegia conuellenti, hæc in memo-

riam

riam non reuocastis, cur Senatores tam grauis erroris non admonuistis? Cur & ipsi Priuilegiorum Custodes duo Antistites Culmenses, Illustrissim⁹ Tylicki & Illustrissim⁹ Gębicki, cùm vterq; Cancellarij aut Vicecancellarij Regij munere fungeretur, huius tamen rei nullam fecerunt mentionem? Miseram nostram Poloniam, quæ ita Reges Senatores, Cancellarios obliuiosos habet, vt nullus in toto regno inuentus fuerit, qui iuris ac Priuilegij Torunensium, cùm ab ijs auferretur, meminerit? Deinde Torunenses, si rem ita se habere nunc primùm vobis in mentem venit, cùm antea exciderit, si nunc primum hæc vestra Priuilegia reperistis, cur cum Serenissimo Rege, cum Antistit. Culmensibus, cum Senatoribus non agitis, cur ea non exhibetis? cur eos ad quos minimè id pertinet, priuatim carpitis, & famosis libellis apud omnes in toto regno traducitis? An ideo vobis hæc Priuilegia & cunctis alijs, è memoria exciderunt, quia nunquam in rerum natura fuere? Et certè ita se rem habere, mihi facilè persuaserim, ex literis Illustrissimorum Antistitum Culmensium, quos paulò ante nominaui, ex quibus Illustrissimus Tylicki ita ad vos scribit: *Quod vero inquit, eadem erga nos obseruantia sua, addictos, templo etiam D. Ioannis cessisse nobis significare videntur, illud vt D. D. V. V. diligentius ad animum sibi reuocarent cuperemus. Occupatum fuerat templum, id si non vi, certè nullo iure, repetitum autem iure. D. Casimirus (cuius Priuilegia & indulta eam religionem obtinent, vt dubitare de authoritate illorum nefas sit) in ipsa terrarum Prussiæ deditione, cùm multa Maioribus D. D. V. V. ob eorum merita (neq; enim benefactis detrahere nostrum est) tribueret: templi tamen illius ius vt vocant Patronatus, à Cruciferis exceptum, ipse quoq; quod DD. vestræ optime norunt, disertè excepit: quod cùm excepit, quis non videt non modò suum sed simul Episcopi etiam ius excepisse; coniuncta enim ista inter se sunt, ius Patronatus & ius Episcopi atq; ita coniuncta, vt nulla ratione separari possint. Hæc & plura alia in eandem sententiam, quæ breuitati studens omitto, Illustrissimus Episcopus. Porrò Illustrissimus Gebicki in eandem sententiam hæc habet. Accedimus inquit ad vestra munimenta propius. Subalternum ius patronatus quoddam opponitis.*

Primùm, non satis percipimus, quid sibi velit ius cum Principe subalternum. Subalterna quidem in Dialectis, penè æquipollent, æquata igitur vestra cum Principe potestas alternis vicibus definita, par ius Patronatus? Næ Maiores vestri fortunati, qui rem tantam obtinuerunt, vt in communionem iuris à Principe admitterentur. Sed meministisne, quanta verborum solennitate, quanta cautione sibi successoribusq; suis D. Casimirus, omnia per Prussiam iura Pa-

ra Patronatus reseruarit? Si derogare potuit successorum, illi Priuilegio omnium ordinum comprobatione roborato; ac illius iuris, quod publicum regni merito censetur, partem in vos transferre: quidni poterit labefactare, etiam & dissoluere illos nexus, quibus de vestris possessionibus, quæ vos nimium efficiunt contumaces, cautum? Addamus & illud, posteriores leges omnia, quæcunq; in præiudicium publicum aut Principum iuris & commoda collata essent, penitus sustulisse, & peculiariter exuisse iure Regio patronatus. Deniq; decreto quod à Regia Maiestate inter vos & Parochum vltimo latum fuit, totam istam vestram assecurationem fractam cassatamq; esse. Vt taceamus vos esse qui extra vnionem, vnius S. Matris Ecclesiæ Catholicæ Christianum nomen vsurpatis, & pacis authorem concordiamq; in pace colere non vultis, nihil possitis Ecclesiæ iure possidere. Hæc ille. Ex quibus Torunenses nullo negocio colligere potestis, cur illud vestrum, tam fortunatum & cum ipso Rege commune, vt hic Senator loquitur, ius Patronatus, Regi ac Senatoribus, denique & vobis ipsis memoria exciderit, quia scilicet nunquam in rerum natura fuit.

Quia verò id ipsum Orator noster Torunensibus obiecerat, & si commune hoc ius cum Rege haberent, illud sibi ostendi postulabat. Doceant hoc inquit Torunenses, & vicerunt: ideo illorum Patronus, quia quod Oratori responderet, in promptu non habebat, ex sua illa, vt ego existimo peruetusta, & ab ipso Ioue Hæreticis tradita diphera, priuilegiũ quoddã Regis, sed nescio cuius excerpsit, quo illis cõceditur, ius Patronatus templi S. Ioannis alternatũ cum Rege, nescio quando, & vbi concessum. Egregiam sanè & ingeniosam probandi rationem, & tamen ita de ea Patronus Torunensium sibi applaudit, ita gloriatur, vt posteaquam illam fabulam retulit, triumphanti similis audacter ad nos suam orationem conuertat *Ecce inquit Iesuita probaui, Torunenses habere ius Patronatus cum S. R. Maiestate commune. Vbi nunc tua trophæa? Si Torunenses habent ius Patronatus commune cum Rege, cur illud non ostendunt? Doceant hoc Torunenses & vicerunt. Certasti Iesuita cùm Torunensibus de subalterno Patronatus iure, deposito certo pignore nimirum & lucro, & victoria certa, Cede itaq; cum tuis malæ fidei possessoribus, templo, domoq; Parochiali, vigore tuæ propriæ obligationis.* Itane nugator ineptissime, vicisse te putas, cùm fabulam hanc retulisti, & iam templum iam ædem Parochi vis esse Torunensium? Ludis & iocaris, cùm seriò agendum erat. Taliane Torunenses diplomata habent, quæ à quibusnam Regibus profecta, quo anno, loco concessa sint, probare non possunt? Affer diploma regium cum sigillo, anno, loco, & nomine, non fictum, non commentitium

menticium, & vicisti: atq; simul pignus certaminis ab Oratore nostro propositum obtinuisti, nimirum habere Torunenses Ius Patronatus. Sed & illud manifestissimé falsitatem huius Priuilegij arguit, quòd illud Torunenses ad plura quàm sonet, extendant. Quod enim verbum in illo vel minimum est, de æde Parochiali Torunensi S. Ioannis? *Ius dicit Patronatus Ecclesiæ & præsentandi alternatis vicibus, in eadem ipsa Ecclesia nobiscum, & cum successoribus nostris, per ipsos, & eorum successores æuiternè habendum, dandum, donandum, & conferendum duximus.* Quæ hic vel tenuissima mentio de æde Parochiali? Qua fide ergo vos Torunenses hoc Priuilegium vobis ampliatis, & ad rem, de qua nihil expressé priuilegium dicit extenditis? Nescitis ex regula illa Iuristarum notissima, priuilegia tantùm valere quantùm sonant? Cur ergo vos illud ad domum Parochi, de qua ne literulam quidem vnam habet, reffertis? Atq; hoc posito facilè ruit & illud quod dicitis, domum Parochialem eodem quo & templum iure niti, ac proinde cùm in templum ius vobis, vt vos affirmatis competit, etiam in domum parochialem competere, debere: id enim falsum omnino est: nam & ista iura distincta sunt, imo diuersis hominibus competere possunt. Cùm verò ius patronatus templi tantum iuxta vestram affirmationem, est vobis concessum, non est eo ipso concessum & Domus, quæ quid distinctum est á templo. Ius enim patronatus, non est ius patronatus Domus Parochialis, sed præsentandi Clericum ad beneficium. Sed neq; in templum vos aliquod ius habere est verum. Nam habere ius patronatus, non est proprie habere ius in templum: quod vos Hæretici non intelligitis, sed ad vestrum sensum omnia trahere vultis. Ius ergo domus Parochialis habuerunt Antistites Culmenses, qui cum assensu parochi poterant illam domum familiæ Religiosæ, perpetuo iure concedere, vt & fecerunt, accedente etiam ad id Serenissimi Regis consensu, qui ex vestra ipsorum sententia, habet ius in eam domum Parochialem. Cur ergo eam nobis pro eo iure, quod vos illum habere fatemini conferre non potuit? An si vos eam domum nobis contulissetis, non iure nos eam possidere diceretis? cur quando Serenissimus Rex contulit, nos iniustos possessores appellatis? Iustum est quia vobis, vt vos dicitis contulit, cùm potuisset; & non est iustum quia contulit nobis cùm similiter potuisset cur ita? num quia quidquid Torunensibus conceditur, id iusté concedi; quidquid Iesuitis iniuste fieri putatis? Sed vobis ob vestra in Rempublicam merita concessit, sit ita neq; enim vestris derogare meritis meū est, sed neq; vos deregetis nostris.

Atq; vt ad id, vnde digressa est redeat oratio, puto ex his quæ hactenus dixi, satis superq; manifestum esse, vos Torunenses nunquam â nobis, iure Patronatus, siue illud habueritis, siue non, exutos esse: neq; vos vicisse, & immerito Oratori nostro insultare, atq; ab eo pignus certaminis exposcere: cúm Priuilegium surrepticium, & supposititium sine vllo Rege qui illud concesserit, sine anno & loco assertis. Vt tamen adhuc manifestior fiat hæc nostra proposita assertio, & vos Torunenses intelligatis, an hoc iure â nobis aliquando exui poteratis, aliqua ex grauibus authoribus hic de iure patronatus addam. Vos enim Hæretici â nobis Catholicis doctrinam hanc iure petere, & acceptare debetis: cùm ius patronatus, sit ius Ecclèsiasticum. quod dum vos vsurpatis vobis, num iure, an iniuria hoc faciatis, & quidnam illud sit, â veris Ecclesiæ filiis Catholicis, vos abortiui & Apostatæ discere debetis.

Primum ergo caput huius doctrinæ est, ius patronatus nihil aliud esse, quám potestas nominandi præsentandi, seu offerendi Episcopo Clericum, instituendum ad aliquod beneficium Ecclesiasticum vacans; quod præter doctores omnes Ecclesiæ, Theologos, Iuristas, tam Canonicos quàm ciuiles, ipse etiam Illustrissimus Tylicki apertissimè docet in literis superius a me citatis. *Patronus inquit ille eligit* (*s. Clericum*) *Episcopus probat, ille præsentat, Episcopus confirmat seu instituit.* Quomodo ergo vos Torunenses, aliud ius vobis assumitis in Templum S. Ioannis? quomodo tantum vobis arrogare audetis, vt si Episcopus quos videt idoneos illi Ecclesiæ submittat, ad suas oues Diuini verbi prędicatione, sacramentorumq; administratione pascendas, atq; ab hostium incursibus tutandas, ad omnem pietatem informandas, queramini, & nullo modo id ab illis faciendum esse clametis? Imò iam nullum ius in illud templum Episcopos habere, non obscurè contenditis, vt queritur & obicit vobis Illustrissimus Tylicki.

Alterum est Patronum Ecclesiæ, non posse donare ius præsentandi laico sine consensu Episcopi, aliàs irritam esse donationem: secus est de Religiosorum familiis. Ita Decius cons. 541. vbi docet hanc esse communem sententiam, Rochus in lib. de Iure patronatus in verbo Pro eo q. 2 n: 30. Lambertus ibidem lib. 6 par: 2. q. 6 principali a 2. Ioan: Andre: & Abbas in cap. primum de iure patronatus. At vos Torunenses, qui ius Patronatus vobis â Rege nescio quo donatum esse gloriamini, habetisne consensum Episcopi, & quis ille est, sine quo totum ius vestrum, quodcunq; tandem illud

illud sit, corruit? Atq; hoc animo illos autores huc produxi, vt intelligeretis, vestrum priuilegium siue illud verum, siue fictum sit, nihil momenti ac ponderis habere, cùm vos laici, imo Hæretici à laico, hoc ius sine Episcopi voluntate accipere non potueritis.

Tertium, Ius patronatus non potest haberi titulo patrimonii, vel hæreditatis, quia non cadit sub hæreditariam successionem; sola enim præsentatio, non veró successio pertinet ad patronum: quam tamen Hæretici, quales sunt Torunenses vsurpare sibi contendunt Ita Greg. lib. 3. lib. 38. c. 15. de iure patronatus cum sua Glossa.

Quartum, Ius patronatus esse, ius spirituale, & à solo iudice Ecclesiastico iudicari debere, ex Greg. lib. 2 tit 1. c. 30. de iudicis iuxta Glossam, verbo, Connexa. Quid ergo vos Torunenses, de hoc iure coram vestro Antistite Culmensi, disceptare non vultis?

Quintum & postremum est, Ius patronatus in Ecclesia Catholica laicis non concedi, nisi respectu Religionis Catholicæ, & propter bonum Ecclesiæ, ac pro inde illud Hæreticis quales sunt Torunenses, nullo modo competere posse in templa Catholica, quos etiam ius ciuile spoliat omnibus priuilegiis, quæ Catholicis iure Religionis indulta sunt. lib. 1 tit. 5. lib. 3. & 10, & Nouel 131. c. 14. Magna sūt hæc Torunenses, sed audite maiora, quæ illa? vultis nosse? Iura nostra Polonica priuant & exuunt Hæreticos talibus etiam priuilegijs. non creditis Torunenses? Legite statutum Iagelonis, & ordinationem regni, legite & alia multa anni 1572. senatus consulta. Euoluite edictum Sig. 1. edictum Sig. Aug. lib. 4. Sinodi. Const. in quibus hoc quod dico perspicietis. Miris equidem extollit laudibus patronus vester, statutum Sigismundi Regis Poloniæ de Annatis, vt pote quod sit ad palatum ipsius, quo ille promittit se petiturum à Sanctissimo Patre Papa (ita Maiores nostri & vestri Torunenses vocabant Romanum Episcopum, non vt vos Antichristum) vt Annatæ remanerent pro defensione reipub. in regno: quod si eas impetrare non posset, tunc iam ex tunc renunciaturum illi, easdem se non daturum nec efferri vlla ratione permissurum.

Atq; dum hæc patronus vester retulisset actutum exclamat. *Vbi tunc inquit ista Pontificis Romani omnipotentia, in Polonia latitabat, quam nobis Bellarminus & cæteri Iesuitæ, Romanæ aulæ adulatores, noui doctores persuadere conantur? Non recognita fuit in Polonia ante istos ab antecessoribus nostris potestas, Pontificis etiam quoad reditus.* Laudet igitur & hoc aliud eiusdem Sigismundi statutum, quo ille decernit, *Hæreticorum bona omnia confiscanda esse, prolem vtriusq; sexus omnium bono-*

 rum

rum successione, & honore abiudicandam, omnes infames esse, vt qui censuris Ecclesiasticis non tenentur, humana seueritate mulctentur. Fueruntne tunc in Polonia Iesuitæ, imo extiteruntne in aliqua orbis parte, aut in rerum natura, cùm hic Rex omnes hæreticos suamq; prolem tanta infamiæ macula notarit, & omnium facultatum honorisq; abdicatione, vt peruicaces & legibus non obtemperantes onerarit? Audiuitne tunc polonia de Iesuitis, nouitne illos vel de nomine totus mundus, cum Gregorius 7. Romanus Pontifex ante quingentos & aliquot supra triginta annos, ob cædem D. Stanislai à Boleslao Cracouiæ patratã, toti poloniæ sacris interdixit, regnoq; eam priuauit, ipsum vero Regem diris execrationibus deuouit, & regiam dignitatem ipsi solenni ritu abrogauit: edixit quoq;, ne imposterium Episcopi in Regem quépiam alium, iniussu suo vngerent, & coronarent. Et ex eo tempore principes dicebantur, non Reges, qui in Polonia dominabãtur, & durauit hoc interregnũ, multis & multis ãnis, vt videre est apud nostrum Cromerum lib. 4. & 11. Vbi tunc erant Anonyme isti tui Romanæ aulę assentatores, cùm hæc fierent? Latebatne tunc in polonia, ista Summi pontificis omnipotentia, quæ tam horrendas palam Regi, regnoq; inflixit pænas? Nondum videlicet, tunc fuerant exorti in polonia Hæretici & parasiti Regum. Iam verò quàm recté probes illo Sigismundi statuto, non recognitam fuisse in polonia, ante Iesuitas Romanorum pontificum potestatem, etiam quoad reditus, nemo nisi cæcus & amens sit, non videt. Cur enim Sigismundus promisisset Nobilitati, se missurum ad Summum pontificem, & petiturum ab eo Annatas, si pontifex non habuit potestatem in illos reditus? Quid oportebat ab eo petere earũ condonationem, si nullomodo illius erant, si nullum ius in eas habuit? quis enim ab aliquo id quod non suum est petit? claré ergo docet Sigismundus, suas Annatas, in Romani pontificis manu fuisse: quas ille se non ferro adempturum, sed precibus impetraturum, pro regni necessitatibus Nobilitati pollicetur. Sed tu more Muscæ, parte hac sana relicta, ad illam affectam properasti, vbi se Rex, in hoc à Pontifice impetrarit, illas non permissurum efferri protestatur. Ex quo sat inepté more tuo, latuisse tunc in polonia Pontificis potestatem, intulisti: illud enim nihil pontificis authoritati aut potestati derogat. Neq; enim si milites in suum insurgant Imperatorem, aut subditi suo rebellent Regi, ideo illi milites ac subditi continuò esse desierunt, & hi Imperatoriam ac Regiam in eos amiserunt potestatem: licet interdum multitudine seu potentia

ipsorum

ipsorum opprimantur: semper tamen ius suum retinent, Et certé Summus Pontifex illam iniuriam non dissimulasset. Dicat verò nobis Patronus vester: cur nihilominus idem Sigismundus contra suum statutum,& fidem datam toti Regno permiserit, efferri deinceps Romam Annatas? forte á Bellarmino & à Iesuitis, qui tunc in rerum natura non erant, persuasus de omnipotentia Pontificis? Videtis Torunenses vt Acephalus vester delirat. Discat igitur rudissimus homo, Annatas esse antiquissimas, omnium nationum consensu receptas, vsu diuturno comprobatas, & per concilia, vt Constantiense, quod ille ipse citat & admittit, ac Viennense stabilitas; de quibus multa apud Thomam Campegium Cap: de Annatarum institutione videre potest. Vetus fuit hæc & ab omnibus accepta doctrina, & Summum Pontificem, habere potestatem Spiritualem super Reges Christianos ac ipsorum Regna, & deniq; deberi eidem; de iure tanquam Summo Pastori Episcoporum decimas, quæ sunt illorum Annatæ, sicut & ijsdem Episcopis debentur à Laicis, quorum sunt Pastores. Atq; hæc ita sunt indubitata apud omnes Catholicos literatos, vt superuacaneum sit pluribus, hac de re agere, maximé apud vos Hæreticos.

CAPVT VNDECIMVM.

Collegium Torunense Societatis nostræ, optimo iure erectum & institutum.

Operæ pretium me facturum existimo, cùm hanc quæstionem, de Collegio & Scholis nostris, optimo iure Torunij excitatis & fundatis cum Torunens. instituo. Hinc enim illæ Torunensium lachrymæ, hinc omnes illæ quærelæ, omnes contumeliæ, omnes criminationes dimanarunt. Scholæ tot accusationes Torunensium contra nos exciuerunt, famosos libellos cuderunt, odia sopita veluti cinere deiecto, suscitarunt, tumultus, iurgia, protestationes, direptiones crearunt, cœlum & terram mouerunt. Hæc est illa scintilla, quæ tantum excitauit incendium. Hoc illud crimen est, quod eo animi iræq; impotentes, Torunenses impulit, vt cum criminationib. & maledictis, in nos finem nullum facerent, se ipsos in fabulam; & prouerbium omnibus darent, Quando Torunij absq; Scholis mansimus, (quod ferè tempus decenij impleuit

curriculum) amicioribus Torunensibus vsi sumus: Nullæ tunc protestationes: nulla maledicta audita. At vbi primum Scholæ apertæ sunt, & Collegium institutum, vbi studiorum nostrorum initia exorsi sumus, ecce tibi Torunenses, veluti feruens sæuis actum tempestatibus æquor, turbari, æstuare, feruere, bullire; accusationibus, calumnijs, mendacijs non parcere; omnia contra nos quæ ira & indignatio suadebant effutire, nos malæ fidei possessores apellare domo exturbare, libellos scomatis & maledictis plenos passim spargere, Catholicos persequi, sacra ritusq; Romanos prohibere & impedire, omnia tentare, Comitia turbare, negotia Reipub in conuentibus, Nobilitatis suis commentis interrumpere, omnia miscere, omnia peruertere, nihil negligere, nihil intentatum relinquere, sumptibus non parcere, famam prostituere, bachari ac furere planè cæperunt. Scilicet in ære vestro sunt nostræ Scholæ, & non eas imis (vt aiunt) ceris eradere cuperetis. Non creditis hoc? palam vos vestris ipsorum testimonijs conuincam, si tamen prius paucula hîc Illustrissimi Gębicki verba apposuero. *Subitanea (inquit) ista quæstio de iure possessionis domus Parochialis Iesuitarum, interiecto decennij spatio, sera est admodum & intempestiua.* Cur sera, & intempestiua? quia ante Torunij scholas non habuimus cùm nunc habeamus. Quid ergo vos Torunenses? Rogatus non ita pridem Torunij ante duos annos circiter, ab Illustrui D. Fabiano Plemiecky, Fabianus Tinka vester primarius vir & Consularis, quid causæ esset, cur Torunenses, homines Societatis Iesv tanto, tã acri, tam inexsaturato persequerentur odio, vt eadem cum ijs ingredi via nequaquam possint, cùm ante amicè & pacatè, cum ijs vixerint. Quid ille ad hæc? Num eos turbatores pacis, euersores ciuitatis, direptores facultatum alienarum appellauit: Num inuasores templi, domus Parochialis iniustos possessores, Augustanam religionem demolientes, Euangelicis nocentes, canes angulos domus Senatorum in Comitijs obambulantes, esse dixit? Num deniq; de aliquibus iniuriis, calumniis, criminationibus, est questus? Mirum de his omnibus silentium. Quid igitur? Audite & vestro vos gladio iugulate. Ingenuè fassus est ille, *se quod Iesuitis vitio daret, non habere, vt qui essent homines inculpatæ vitæ, & præ cæteris singulare quid, quo illis excellant habentes: Scholas tamen ipsorum, se totumq; Senatum Torunensem, cùm ab illis nobis metuamus, nullomodo ferre posse. quo factum est, vt & ipsi Iesi. itæ graues apud nos incurrerint inimicitias.* Audistis? Agnoscitis, tam insigne nostræ inocentiæ, vestrum ipsorum testimonium? quod tanto luculentius est, quantò is, qui illud dedit,

in Sena-

in Senatu vestro altior fuit, & nostræ Societati hostis infestior. Atq; id ego ex eodē Illustri D. Plemienцki accepi. Sed repetite quæso Torunenses animis vestris, adhuc & illam vestram legationem ad Antistitem Culmensem? cognoscite, quale innocentiæ nostræ vestri legati ibi dederint testimonium; vt iam capite secundo docui, sed parum est hoc: non paucis ex Equestri ordine viris, nostræ quoq; Societatis Religiosis haud semel dixistis. *Transferte vestras Scholas alio, nos & sumptum 10. millium ad id offeremus: ipsi vero hîc manete vt ante sine Scholis, conueniemus vobiscū, pacata & quieta nobis erunt omnia, amicos nos experiemini.* Hæc est oratio, hæc testimonia Torunensium, quibus ingenuè fatentur, se quicquid hactenus contra nos dixerunt, feceruntuè id Scholarum odio dixisse fecisseq;, omnesq; illos tumultus, calumnias, famosos libellos, accusationes, Comitiorum & totius Reipub. turbationes, & quidquid demum ira odiumq; patrauit, totum illud ex hoc vnico fonte quia Torunij Scholas habemus, dimanasse,

Quia verò passim iactant Illustrissimum Petrum Kostkam Antistitem Culmensē, nullū habuisse ius fundandi Collegium nostrę Societatis Torunij, neq; nos vllā fundationem iure habere posse, quod si quam habeamus, eam surreptitiam, & per vim extortam esse; vt tantum errorem ex animis Torunensium euellam, altiùs quædam de Collegiorum institutione, hîc mihi repetenda video.

Ac inprimis, fundatio Collegiorum, in quibus iuuentus cùm honestis literis, tum optimis moribus, informetur ac imbuatur, Principibus, tam sæcularibus quam Ecclesiasticis, qui ad clauum Reipub. sedent, competit: quod ita se habere aperté, ius Ciuile & Ecclesiasticum docet, & Tolos. Syntagm. lib: 15. C 32.. Gregorius lib. 4 Cùm filij sint legitimi: Titulo 17. C. 13. cùm Glosa, & lib. 3. Tit. 23. C. l. in 6. de immunitate Ecclesiarum cum Glosa & Martianus D. Lib. 47. Tit. 22. Possunt præterea Collegia institui ab Episcopis in sua diœcesi, & ab alijs qui nō sunt Episcopi, modo Principis siue Regis cuius illæ sunt Prouinciæ aut Vrbes accedat consensus. Et id docet ius vtrumq; loco iā allato. Huc accedit, Episcopos inuigilare debere vt Magistri qui iuuentutem in Scholis erudiant, sint optimi, & cùm doctrina, tum pietate præstantes, ex Lib. 10. Tit. 52. de Professoribus Lib. 7. Quod si alicubi altiores disciplinæ tractandæ sint, eas etiam Summi Pontificis confirmationem requirere; in Clementina de Magistris docetur. Atq; hoc pacto Collegium & inclyta Cracouiensis Academia per Iagellonem, & coniugem eius Heduigim pijssimæ vitæ Reginam erecta ac fundata fuit, confirmatione Vrbani Pontificis, accedente-

dente, in qua tamen lectio Theologica, denegata est, quam tunc Rex expetiuerat: sed post modum à Bonifacio concessa, & quibusdam Priuilegijs ac libertatibus dotata & ornata: vt videre est apud Herbortum, verbo, Schola Cracouiensis & in Summario Ianiszeui verbo Academici. Atq; dum hæc scribo, duos mihi latissimos aperiri campos video, agendi contra Anonymum ipsosq; Torunenses. Primus est, in Polonia, antequam in hoc Regnum, nostra Societas inuecta esset, imò cùm nusquam extaret adhuc; Summi Pontificis non latuisse autoritatem, vt iam suprà satis aperte docui, aut potentiam: sine cuius voluntate S. Theologiæ studia, nemo poterat Cracouiæ profiteri, licet id Rex & Regina maximè postulassent. Eat ergo Anonymus & legat diligenter annales & primordia Academiæ Cracouiensis, & in posterum obstruat os suum, nec contra apertam veritatem, loqui velit, quo nomen famamq; Torunensium, quam ego semper sartam tectamq; velim, laceret & traducat. Secundus est, nostrum Torunij Collegium, iure optimo fundatum & institutum esse, iuxta ea quæ de fundatione Collegiorum adduxi, si illa principia Torunenses admittunt, vt admittere debent, nisi proterui sint & contumaces, atq; ipsi rationis dictamini, veritati, decretisq; tam Ecclesiasticis quam sæcularibus, repugnantes esse velint. Vera sunt ergo ea, quæ de fundatione Collegiorũ ad iuuentutem erudiendam dixi, & si quæ eo modo fundentur, & erigantur iure optimo fundari & erigi. Sed nostrum Torunense Collegium ad illum modum, & iuxta illas leges, erectum & fundatum est, Ergo non nisi, iure optimo fundari ac erigi potuit. Negatis Torunenses? quin imò maximè. Manete parumper, donec illius Maioris propositionis quam vos admittitis, principia retexam, & ad Minorem de nostri Collegij fundatione applicabo, & tunc licet maximè nolitis, assensũ Conclusionis à vobis extorquebo. Atq; inprimis ignorare non potestis Collegium nostrũ, à Petro Kostka, optimo Antistite Culmensi esse institutum Torunij in Ciuitate suæ Diœcesis, habito consensu Serenissimi Regis Sigismundi, qui Dominus est vt totius Regni ita & Ciuitatis huius; quod maxime docent publica diplomata cùm eiusdem Antistitis, tum Serenissimi Regis, qui etiam peculiari Priuilegio illud Episcopale diploma confirmauit. Adhucne illegitimè nostrum Collegium fundatum esse contenditis, quod ab Episcopo institutum à Rege confirmatum est? At si Regi & Episcopis ius fundandi Collegia adimitis, cui tandem illud attribuetis? nisi forte vos & Reges & Episcopi in vestra Ciuitate esse velitis. Sed ne vobis

tantum

tantum arrogetis, subdite colla iugo, agnoscite Reges, agnoscite Episcopos, nolite Regiam, nolite & Episcopalem, ad vos transferre potestatem. Si tamen adhuc vobis ad Collegij Torunensis fundationem, authoritas Regia & Episcopalis non sufficere videtur, num & totius Reipub. consensum & voluntatē respuetis? nimis duri & peruicaces estis. Reuoluite acta comitiorum generalium anni 1611. in quibus totum Senatus, & nunciorum Collegium, nomine vniuersæ Reipub: nostras Torunenses Scholas summa approbauit authoritate, voluntate, constitutione, decretoq; expressis verbis lato. Satis hoc? audite & expauescite, quæ tam repentè, è mari in Torunenses calamitas? & in Torunenses illud Collegium impedientes pæna, quæ illa? *pœna inquam perpetuæ bannitionis lata.* Istine Torunenses, ius Collegij, in vestra Ciuitate instituendi non habent, qui tantam, tam seuerā, tam grauem vobis infligere pœnam possunt? Sed Patronus vester ait, huic Constitutioni, dum in Conuentu Nobilitatis legeretur, à maxima parte Nunciorum terrestrium, qui erant Euangelici, fuisse reclamatum. Omninò iste Patronus vester, aut fallitur, vt homo ex infima fæce plebis publicorūq; Regni statutorū ignarus, aut apertam veritatē impugnat. Nā nec maxima pars eorū Nunciorum constabat ex Euangelicis, nec omnes reclamarunt, sed aliqui duntaxat, & fortassis duo tantùm; qui tamen auditis rationibus aliorum, & quòd nihil illorum interresset, acquieuerunt: quòd ego ex grauissimis nostri Regni Senatoribus, sub hoc ipsum tempus, dum hæc scriberem intellexi, cùm huius vestræ fabulæ, apud eos mentionem fecissem. Miror planè hunc vestrum Patronum, quòd quidquid dicat, totum è mendacijs sit conflatum: ita vt somniasse, tunc potiùs, dum hoc vestrum Patrocinium scripsit, quàm vigilasse videatur: & vobis, qui post Nobilitatem in Repub, præcipuum nomen obtinetis, dum Patrocinari voluit, non mediocriter suis mendacijs (quod ego multum doleo) obfuit, dum vos apud omnes traduxit. Ex hoc eodem principio colligere potestis, & illud vestri Patroni pronunciatum, quàm sit veritati consentaneum, non arrogasse sibi Nobilitatem, hoc ius, vt possit in Ciuitate Torunensi Scholas erigere. Quomodo n. illud arrogare sibi dicenda est, quod tanquā proprium habet, vesterne Patronus, ius Collegium erigendi Torunij, toti Reipub. adimit? Quod si hoc iure & potestate Scholas instituendi Rempub. exuit, cui tandem illam attribuet? nisi forte ad vos solos hanc potestatem pertinere, dicat: & vos solos Reges illius Ciuitatis constituat?

Sed fortasse iam ita Collegium nostrum, vt dictum est Torunij constitisse acquiescitis: illud tamen fortè veremini, ne rogantibus & vrgentibus nobis, illæ Scholæ apud vos constiterint, quæ sola res omnium suspicionum, ac periculorum possit esse seminarium. Et quamuis hac in parte mentem nostram, vobis non teneamur exponere; tamen quo magis, sinceritas animi nostri vobis nota sit, rem omnem, ita sicuti est, aperiam. Magnus ille, & promouendæ pietatis ac religionis Zelo æstuans, Petrus Kostka Antistes Culmensis, vt primùm in huius Ecclesiæ Pastoralem dignitatem inauguratus est, vndiq; statim circumspicere, tanquam bonus Pastor cæpit, quomodo suæ curæ commendatas oues, ad bonum promoueret, quibus præsidijs à malo tueretur, Quo subsidio, quia Torunensem Ecclesiam, vt pote inter Hæreticos Ecclesiæ Catholicæ hostes infestissimos, & pietatis, omnisq; morum honestatis, deprauatores positam vidit: ad hanc iuuandam præcipué, omnes suas curas cogitationesq; conuertit. Quia verò nostram Societatem, ad hoc opus idoneam esse cognouit, vt poté quam in pietate Catholica promouenda indefessam, in laboribus & periculis sustinendis fortem, in Hæreticorum erroribus oppugnandis, prudenter magnanimam, & felicem expertus est; hanc potissimum in partem sui laboris vocare, hanc quasi vigilias, ac præsidiarias copias, ad suum tutandum ouile ponere decreuit. Vt ergo huic sanctissimæ voluntati faceret satis, anno 1573. quo Episcopatus sui pedum accepit, P. Prouincialem nostræ Societatis, ad se accersiuit eiq; omnem suam voluntatem, ac desiderium exposuit: cui tamen obsequi, & satisfacere ob paucitatem personarum, in nostra Societate non potuit. Itaq; hîc repulsam passus, nihilominùs de suo studio, ac voluntate, annis succedentibus nihil remisit: atq; iterum alium Prouincialem nostrum ad se aduocauit, eiq; suam eandem de Collegio Torunij fundando mentem aperuit, & id summa contentione postulauit. Sed neque hîc ob varias difficultates, quas nostri proponebant, illi suum explere desiderium licuit. Quid hîc faceret optimus Præses custosque vigilantissimus super gregem suum, Christi sanguine redemptum? desisteretne à proposito ob repulsam toties aditam, an pergeret? tantùm ergo abfuit vt aliquid de suo desiderio remiserit, vt etiã illud multis auxerit partibus. Anno itaq; salutis nostræ, 1593. Prouinciali nostro ad se euocato, primùm multum coram ipso questus, quod toties iustissimis suis precibus non annuerit, is, qui totam suæ vitæ rationem in adiuuandis ad salutem proximis, ex suo instituto

posuit

posuit, demum ijs eum conuicit, & ligatum tenuit rationibus; vt nec Episcopus ob suam authoritatem, & sanctissimum desiderium repulsam pati, nec Prouincialis, id quod petebatur, ob suam modestiam denegare, aut paucitatem personarum, seu quiduis aliud prætendere, amplius potuerit. Respirauit ergo optimus Antistes, dum suum desiderium, tandem aliquando expletum vidit, atque mox nulla facta mora, vna cum Venerabili Capitulo, priuilegium pro fundando Torunij Collegio, conscribi curauit. Sed antequam hoc tam sanctum animi sui institutum, ad finem optatum perduceret, inuida mors, dum maximè ferueret opus, eum nobis è medio sublatum, cælo, non nobis maturum, ad meliorem vitam transtulit. Successit Illustrissimus Petrus Tylicki, non minus in Episcopali dignitate & officio, quàm in feruentissimo Antecessoris sui, in promouenda Torunij per nostræ Societatis homines Catholica religione desiderio. Et vt Pastoralis dignitatis, ita studiorum, sui Antecessoris, verus factus hæres, imò & æmulus, illius voluntatem in fundando nostro Torunij Collegio, omnibus rationibus promouit: adeò vt cum ipso, hoc in genere certare videretur. Atq; dum huic operi insignis Princeps & propagandi honoris Diuini studiosus, seriò manū admouit, id tandē est assecutus, quod ne suus Antecessor assequeretur, mors immatura prohibuit. Iure ergo ac legibus templum S. Joannis, quod vestris ritibus Hæreticis, à multis annis prophanatum polluistis, é manibus vestris intercedente D. Andreæ Markowski eiusdem templi Parochi opera, extorsit: nos in possessionem domus, & Scholæ Parochialis anno 1596. vt supra retuli, per suū Cancellarium introduxit, pulpitum Ecclesiæ tradidit, atque vt animosè opus nostrum, in iuuandis pro nostro instituto proximis, aggrederemur animauit.

Quid hic vos non fecistis Torunenses? in quas formas vos ceu Promethei aliqui non transformastis? quid non attentastis? quibus interminationibus, quibus pollicitationibus, nos de nostro statu deturbare non estis adnisi? dum nos palam Torunij omnia pietatis Catholicæ officia obire, conciones publicè, Polonico & Germanico idiomate, ad populum habere vidistis? Sed vt nos ad minas imperterritos, ad pollicitationes inflexibiles conspexistis, quo confugistis? Primò libellos famosos sub tempus Nundinarum contra nos edere, & ad valuas ciuitatis publicè affigere, ac in vulgus spargere; deinde criminationibus varijs, calumnijs, accusationibus nos vndequaq; inpetere cæpistis: verū cū ne his omnibus victi cederemus, literas

Illustriss. Tylicky dedistis, vt nos quāprimum Torunio amoueret. Respondit ille vt par erat, in ijs literis quarū sæpe hîc mētionem fecimus, *licere sibi Torunij quos velit instituere Sacerdotes, ac proinde vos in aliorum sese ingerere officium non debere.* Luculenta est in eadē Epistola huius tanti Senatoris laus nostræ Societatis & defensio, in qua etiā meminit Scholæ domui Parochiali vicinæ, quam vos contra ea quæ ibi dicit, & contra veritatem transactionis vobiscum factæ, Hæreditariam vestram, nescio quo iure, hîc non semel asseruistis, & quod precariò eam Plebano, & ad vestrum beneplacitum concesseritis. Quod si ita esset, quomodo tantus vir contrarium idq; apud vos assereret? & eam Scholam nobis perpetuo iure consignare iuberet, quam vestram & Plebano precariò concessam sciret?

Ex his ergo quæ hactenus dicta sunt, satis liquet, iniustissimè vos Torunenses, conqueri & clamare, nullo iure Collegium nostrum apud vos esse institutum. Sed iam credo manus datis, iam hoc ius fundandi Collegia, Regi, iam Episcopis conceditis, adhuc tamen audio vos submissius nescio, quid immurmurantes: vera scilicet esse omnia, quæ de fundatione Collegij dicta sunt: quando tamen hæc fundatio nō fit, contra ius alicuius ciuitatis quo fieri prohibetur, tunc enim iure erectum esse dici nullo modo potest: quale ius & priuilegium habet Ciuitas Torunensis. Ostendite hæc priuilegia Torunenses, Regum poloniæ, quibus vobis conceditur tantum ac plane Regium ius, vt Scholæ nusquam Torunij erigi possint sine consensu vestro. Cur quæso cū tā præclarò, tā magnifico priuilegio, in lucē prodire metuitis? fortasse & illud est Regis nescio cuius, quando, & vbi datum. Quod si Torunenses quispiam contenderet, vos hoc priuilegium si quod tandem habetis, fraudibus & dolo, acquisisse, & pecunia, more surreptitio coëmisse? Certè ego nolo, vt possem quædam hîc, narrata mihi ab aliquot Illustribus viris, de quibusdam vestris & Elbingensium priuilegijs refferre, vos ipsi optimè nostis, modo verè ac syncerè animos vestros consulatis, qua fide illa vobis comparastis, in quibus tamen qualiacunq; tandem illa sint, illud semper additum habetis: Sine præiudicio tamen iurium Ecclesiasticorū. Sed sciunt Torunenses huiusmodi priuilegiū, quod tamen iactant se habere, in suo archiuio, licet illud susq; deq; euertant, nusquam reperiri posse: imò si quod haberent adhuc tamen inualidum esset, cum iuri Episcopali aduersaretur, ad quos fundatio Collegiorum de iure pertinet. Ideo Patronus ipsorum, non priuilegium aliquod, sed verba quædam satis lepidè affert. *In Priuilegio inquit Regio Serenissimi*

ßimi Sigiſmundi, quo iura Ciuitatis Torunenſis confirmauit, cum coronaretur, extant hæc verba. Ciuitatem Torunenſem in eo ſtatu manere debere, in quo fuit ſub augustiſsimum aduentum illius, vbi tunc Torunenſes pleriq; nec cultum veſtrum Ieſuitæ, nec vultum viderunt. O lepidum caput Anonymi, & probationem nimis argutam, quæ plus riſus quàm roboris habent. Sed & ò Regis noſtri ſummam iniuſtitiam, qui Priuilegia Torunenſium conuellit, & ciuitatem eorum, in eo ſtatu permanere, in quo ſub aduentum illius, dum coronaretur fuit, contra ſuum decretum non ſinit. Quid enim? Nonne Torunenſes, ſub aduentum Sereniſſimi Regis in Poloniam, is ſtatus veſtræ ciuitatis erat, vt bona Monaſterij Virginum tanquam Domini teneretis, eaq; in vſus veſtros conuerteretis? Nonne templo S. *Ioannis* ad veſtros ritus Hæreticos vtebamini? quid ergo cauſæ eſt, quòd his omnibus nunc abiudicati eſtis? cur cum Sereniſſimo Rege de tanta iniuria non expoſtulatis? qui Priuilegium vobis in prima ſui inauguratione datum, quo ſe ciuitatem veſtram, in eo ſtatu ſeruaturum, in quo illam inuenit obſtrinxit, penitus ſuſtulit. Alia nunc facies, alius veſtræ ciuitatis ſtatus, bona & templa quæ olim in veſtris manibus erant, iam in alienas quorum de iure fuerant, deuenêre manus. Scilicet Sereniſſimi Reges cùm in eo ſtatu ciuitates, in quo illas inueniunt, pollicentur permanſuras, etiam quidquid tandem in illis vel iniquiſſimum ſit, hac ſua pollicitatione confirmant. Ergone ita iniquos Reges eſſe vultis, vt rapinas, cædes, ſacrilegia ſuis confirment Priuilegijs? Pollicentur ergo Reges permanſuras ciuitates, in eo ſtatu, in quo, de iure non de facto erant, vel in eo ſtatu, qui iure & Regum Priuilegijs, ſit firmatus & ſtabilitus. At quis veſtras rapinas Torunenſes, quis ſacrilegia ſtabiliuit? quo iure, quo priuilegio, bona Cœnobij Virginum & templum S. Ioannis tenuiſtis? Non ergo Sereniſſimus Rex, ſuum priuilegium vobis datum fregit, cùm & bona Cœnobij & templum à vobis iniuſtis poſſeſſionibus ad veros & germanos poſſeſſores tranſtulit; quia non de iure, ſed violentia, in hoc ſtatu veſtram inuenit ciuitatem. Iam quòd nunc Collegium noſtrum Torunij fundari conceſſit, cùm in hoc ſtatu illud non inuenerit, quod tandem ius veſtrum violauit? oſtendite illud ſi habetis. *Pleriq; Torunenſes tunc* (*inquit Patronus veſter*) *nec cultum veſtrum Ieſuitæ in ſua ciuitate, nec vultum viderunt.* O nimis argutum caput. Ergone quia Ieſuitas Torunij, tunc cum Sereniſſimus Rex in regnum inauguraretur, & priuilegia veſtra firmabat, non vidiſtis, hoc ipſo vos ius habebatis, vt nunquam eos in veſtra ciuitate in poſterum videretis, & Sereniſſimus

Rex eo ipſo, quia Ieſuitas Torunij non inuenit, & hic ſtatus ciuitatis erat, hoc ipſo inquam in eodem ſtatu, illam permanſuram promiſit? Hoccine eſt ius veſtrum? certè nec filij veſtri, nec quiſpiam, alius in veſtra ciuitate manere poſſunt, ex hac veſtra deductione, cùm non in eo ſtatu Rex ciuitatē inuenerit, ſiquidem illi nondum nati erant. Non fuerunt Ieſuitæ Torunij, cùm Rex iura ciuitatis confirmauit, ergo & Ieſuitas, nunquam Torunij futuros, neq; eſſe poſſe, confirmauit: quia in eodem ſtatu, quo tunc erat, ciuitatem fore promiſit. Sed Ieſuitæ tunc non erant, ergo neq; nunc debent eſſe, iam enim ſtatus ciuitatis mutaretur. O argutam argumentationem? Puto hunc Patronum veſtrum mentem & caput illico amiſiſſe, poſtquam hoc cudit argumentum. Ego certè mihi tantum non arrogo, vt tam acuté, argumentari poſſim.

Sed vt vt ſit, nos, nos potius cum tota Nobilitate veſtram poſſemus, & quidem meritiſſimo iure, accuſare proteruiam: qui ſine conſenſu Regio, contempta Epiſcopi authoritate, veſtras Scholas Hæreticas contra ius faſq; Torunij erexiſtis. Oſtendite veſtræ fundationis diplomata, oſtendite Epiſcopi Culmenſis voluntatem, ſine cuius approbatione nullæ Scholæ, in tota eius Diæceſi erigi poſſunt. Quid ergo nos de illegitima Collegij fundatione calumniamini, dum vobis tot diplomata publica oſtendimus, vos qui priuata authoritate contra totius Regni ſtatuta, veſtras non tam eruditionis, quàm erroris Scholas erigitis? Quàm verò ad rem huic obiectioni reſpondeatis, conſiderate. *Dicitis illas Scholas veſtras, erectas fuiſſe priuſquam Boruſsi ad Regnum accederent, & cum iſtis Scholis acceſſerunt Torunenſes ad Regnum.* Quid audio? quid hîc veritatis? Erantne tunc, Scholæ Hæreticæ Torunij? At eas fuiſſe Catholicas & Romanas, ad Parochiam S. Ioannis Parochumq; illius loco pertinentes & Epiſcopo Culmenſi ſubiectas, veſtri teſtantur annales. Quî enim illæ Scholæ veſtræ eſſe poterant, cum necdum Hæreſis Lutherana, aut Caluiniana Torunij nota eſſet, ſed ſola Catholica & Romana: imò quod plus eſt, cùm nondum illæ Hæreſes natæ eſſent; Deinde tales ne illæ Scholæ erant, in quibus Scriptura Sacra, & diſciplinæ Thæologicæ rectius Diabolicæ, legerentur? quæ omnia vos in veſtras Scholas, à vobis excitatas, ſine conſenſu Regis, ſine authoritate ſummi Antiſtitis, ſine cuius voluntate, hæc ſtudia tractari non poſſunt, (vt iam ante docui) introduxiſtis? in eas inquam Scholas, hæc omnia introduxiſtis, in quibus non eruditionem & doctrinam, ſed errores & impietatem docetis, odium in Catholicos, & ſummum Pontificem, mollibus ac

teneris

teneris puerorum animis, sensim instilliatis. Quod si per iura nostra, nec pistorum aut Sutorum, aliorumue opificum Collegia, sine consensu principis institui nequeunt, ex quibus tamen non adeò grauia incommoda in Rempub. timeri possunt, vt docet Herbortus verbo Fraternitas, quàm longè potiori ratione in literarum instituendis gymnasijs licebit? ex quibus maxima pericula, oriri deriuariq; possunt, non solum in totam Rempub., sed etiam in Ecclesiam, quod longè grauius. Ex malè enim instituta iuuentute, in Regnis seditiones, bella, iniuriæ, omnium vitiorum pestes, in Ecclesia Hæreses, sectæ, variæq; in Deum Superosq; blasphemiæ oriuntur. At in vestris Scholis, ita iuuentutem, quæ est spes & ornamentum Reipub. institui, imò destrui, nemo est qui ambigat.

CAPVT DVODECIMVM.

Futiles ac vanæ Torunensium rationes, contra Scholas nostræ Societatis Torunenses.

ETsi multa iam de iure & æquitate fundationis nostri Collegij in vestra Ciuitate dixerim, & fortasse aliquibus vestrum, etiam vsq; ad nauseam: tamen quia nemò vnquam prudens probusque (quales ego vos iudico) veritatem fastidiuit. & quia omnium vestrarum contra nos querelarum & accusationum, in hac vna sola re totus cardo, vt iam ante insinuaui, vertitur: Prætere a quia non nullas vester Patronus affert ratiunculas, quibus videtur probare, nullo modo, nostras Scholas, salua & integra pace & tranquilitate communi, Torunij posse consistere; ideo huic parti, ex qua tota nostra controuersia pendet, nequaquam deesse potui, vt eam paulò fusiùs quàm reliqua alia persequerer. Quia verò capite superiori, satis manifestè ius & æquitatem fundationis nostri Collegij Torunensis declaraui, hîc nihil aliud agam, præterquam quòd vestras quasdam dubitationes, difficultates & obiectiones, quas circa nostrum Collegium mouetis, à quo & omnia mala vobis metuitis, breuiter expendam, soluam & diluam; vt sic & rationibus manifestis, æquitate fundationis Collegij nostri ostensa, & obiectionibus vestris probè dilutis, omnem ex animis vestris scrupulum eximam, ne vllum vnquam periculum à nostris Torunensibus Scholis expectetis, aut illas nullo iure fundatas queramini. Agite ergo, difficultates vestras, quæ circa nostras scholas vobis occurrunt proponite.

Dicunt itaque cum suo Patrono imprimis Torunenses: *Cùm Torunij celeberrimum sit emporium, in quo diuersi generis merces exponantur, & homines diuersarum nationum, in varijs negotiationibus sint occupati, inter tantos negotiorum tumultus, scholas nostras nequaquam posse consistere.* Certe iste Patronus vester, aut nullum vnquam vidit emporium præter Torunense; aut vos Torunenses ridendos præbet, iis præsertim qui bene norunt, quid sit Torunium, & quid in eo agatur. Quod enim hoc quæso emporium tam nobile? quæ merces, tam præclaræ quæ in eo exponuntur? sal credo intelligit & haleces ad ripam vistulæ. O insignes merces? Qui isti varij generis homines in negociationibus & mercatura occupati? Pruthenj scilicet ac Poloni in sua ciuitate ne dicam domi suæ: hospites scilicet ac peregrini: tum illa fæx & turba remigum Ruthenorum, ac denique vilissima baiulorum, operariorumq; multitudo. O hominum varietatem præclaram, & frequentiam insignem, propter quam scholæ nostræ sunt claudendæ! Præstabat vt hoc argumentum subticuisset, ne se & vos risui exponeret. Sed sit ita, valeat hoc apud eos, qui dum veritatem impugnant, omnia pro se facere arbitrantur. Nonne Rigæ longè nobilius est emporium, & tam frequentia, ac varietate hominum, quàm mercium, quæ in eo exponuntur, præstantia longé celeberrimum, Cur tamen ibi non præiudicat scholis nostris? cur á tanto tempore, ibi florent literæ nostræ?

Alterum est, quod Torunenses obijciunt. *Torunij inquiunt sunt diuersæ linguæ & Religiones hominum, quæ duo vbi cum vestro seminario, concurrunt, actum est, de publica pace.* Vidimus iam istam vestram præclaram diuersitatem linguarum, quæ cùm voletis, fiet vnius labij, cùm vestri ciues optime calleant linguam Polonicam, Diuersitatem, Religionum, non nego esse, minorem tamen quàm sit in alijs Ciuitatibus, huius Regni. Cur tamen hæc in illis non obstat Collegio nostro? cur non actum ibi de pace publica? Nonne Leopoli & Camenecij, maior est diuersitas linguarum, scholarum, & Religionum, quàm sit Torunij? ibi inuenietis Polonos, Ruthenos, Scythas, Armenos, Turcas, ibi Religiones Catholicæ, Græcæ, Hebreæ, Armenicæ vigent. Cur tamen ibi, licet Collegium nostrum sit, non actum de pace publica? Idem dico de Ciuitate Luceoriensi: Neluisiensi, Iarostlauiensi, ? Cur nec Rigæ hanc pacem, per nostras scholas violatum iri, Rigentes proclamant? Cur nemo hoc periculum metuit? Vos soli Torunenses, ibi trepidatis timore, vbi non est timor: vos soli estis, qui pacatam quietamq; Ciuitatem vestram habere

ccnni-

connitimini: vos soli in uidendis publicæ pacis periculis lyncæi, & perspicaces; reliqui omnes cæcutientes talpæ. vos vt paucis rem complectar: in hoc prudentissimo Regno, soli sapitis; cæteris stultis ac desipientibus. Verumenimuerò.

Quicunq; (inquit ille) se solos sapere linguaq; vi
Vel pectoris pollere, quam alij non habent,
Existimant: isti retecti sæpius
Comperti inanes sunt.

Sed si hæc ratio, valet aliquid apud vos, iuxta vestram, vt vos iudicatis sententiam: ex Catholicis Ciuitatibus Regni Poloniæ, cedere debent vbiq; sectæ vestræ, Lutherana, & Caluinistica, & Scholæ earundem omnino eijci, maximé si sit ibi nostræ Societatis Collegium: cùm vestra iuuentus, propter doctrinam pestilentem, & odium quo in Scholis, & in templis vestris, contra Catholicos imbuitur: cogitet semper & meditetur, quæ ad communem pacem, perturbandam seruiant, & si quæ occasio vel leuissima se se offerat, eam auidissimè arripiat, & perturbata pace, omnem culpam in Catholicos transferat. Si quis ergo hoc vel attentaret, vt meritò posset, vel diceret, quid vos hîc faceretis Torunenses? quomodo ad hanc vestram iniuriam; si tamen iniuria, & non æquitas potiùs dici debeat, vlciscendam, quomodo, inquam, non omnem lapidem moueretis, omnia euerteretis, cælum & terram misceretis? quomodo non confæderationem violari, atque proscindi vociferaremini? At quomodo vos viri boni, pari ratione confæderationem non violatis, eamq; proscinditis, dum nostras Scholas é vestris ciuitatibus exturbare contenditis? Dum palàm vociferamini: *Vbi est diuersitas Religionum & Collegium Iesuiticum, actum esse de pace publica, atq; ideo Iesuitas Torunio eijciendos?* quomodo inquam confæderationis iura non rumpitis? qui apertè ea & dicitis & facitis quæ illa vetant?

Tertio loco ponunt illam rationem Torunenses: *Non posse fieri quin filij Ciuium, cum filijs Equestris Ordinis committantur, stante Iesuitarum Collegio Torunij. Iam hoc* Torunensium commentum, probe diluit Orator noster, nec ego in eo refellendo immorari volo, hoc tantũ dico: Ipsemet ego sesqui anno, illud Collegium, cùm altera vice studia nostra dissipata repeteremus, Rector administraui; nec tamen tale quidpiam subortum fuisse memini, quod tales tumultus redoleret, quod vos quoq; inficias ire sine insigni falsitate non potestis. Deinde est né credibile, vt sapientissimi Vrbis Torunensium Senatores (tales enim dici volunt & haberi, qui omnem gubernandæ Reipub.

ſcientiam, nimis inſolenter ſibi arrogant) hic tanquam ad aliquem Scopulum, ſuæ prudentiæ naufragium faciant: vt omninò deſperent inuenturos ſe modũ quempiã, aut conſilium, quo ſcholariũ æmulatione aliqua affectos animos, aut aliquibus iniurijs irritatos poſſint componere, aut violentis tumultibus (qui nobis ne per cogitationem quidem in mentem venire poſſunt) conuenienti remedio ſubuenire? Ego tamen facilè hoc crediderim: quod illis vitio verti non debet. Nam homines illi negotioſi, & quæſtuoſæ emendi ac vendendi mercaturæ dediti, quantùm quæſo habebunt ad ſubliniores de Republica cogitationes inſtituendas, ad importunos malorum conatus reprimendos, ad ſubmouendas in Ciuitate perturbationes ac tumultus, ac ſopienda inter æmulam iuuentutem odia, atq; adeo ad ſcholarium mutuas incurſiones compeſcendas? tantùm inquam quantum à ſalis halecumq; mercatura, & a ſubducendis reducendisque rationum calculis, ſubciſiui temporis poterunt ſubtrahere. Diſiunctiſſima ſunt maximeq; diuerſa duo hæc, Mercator & Senator. Atq; quod olim Plato ſapienter docuit; *Scientis eſt non diuitis de quacunq; re bene conſulere*: & ad rem noſtram paucis immutatis: Senatoris eſt ad clauum Reip. continuò ſedentis, non mercatoris ad ſuas tabulas dati & accepti ſedulò attendentis, de quacunque re bene conſulere. Itaq; non miror ego Torunenſes in re tam ardua ac difficili, omne conſilium deficere. Suggeram ego vobis, quod mihi in promptu eſt: Viri boni, conueniamus inter nos, conueniant inter ſe veſtri ac noſtri ſcholares, nulla ſint inter nos diſſidia; nulla timebũtur inter noſtros diſcipulos ac veſtros filios odia. Præterea cõſpiremus in vnum, cohibebimus nos, quod facile eſt iuuentutem noſtram; cohibete vos ſcholares veſtros, ac ipſorum Magiſtros, ciuium filios in officio continete, petulantias, quàs cùm aliàs, tum noctu liberiùs exercent, prohibete: nos parti noſtræ, vt iam monui non deerimus, neq; vnquam periculum erit, vt noſtri veſtriq; diſcipuli infeſtis inter ſe aliquando concurrant armis vel animis. Non enim ad arma, ad odia, ad tumultus & ſeditiones noſtra iuuentus; ſed ad omnem pietatem Chriſtianam, modeſtiam virtutemq; in noſtris ſcholis informatur & inſtituitur. Quid enim? an ſolùm Torunij apud vos Collegium & ſcholas habemus? Cur Rigæ, vbi plures Hæretici, cur Leopoli & infinitis alijs Ciuitatibus vtriusq; orbis, vbi plures religionũ inueniũtur varietates, nuſquã tale periculum timetur? cur filij Nobilitatis cum Plebeijs nunquam inter ſe commiſſi eſſe (ſi Bransbergam, quam veſter Patronus in exemplum adduxit excipias) audiuntur? veſtra

ſunt

sunt ista figmenta, & subterfugia Torunenses Amatis scilicet nostras scholas, vt lupus ouem amat, quod vulgò dicitur, quas scilicet odistis peiùs cane & angue: libenter eas, vel in momento, si liceret é vestris sedibus eijceretis. Non nostri equidem discipuli, eius tragediæ authores fuère, quam nuper, quod dolemus, in Ciuitate vestra spectastis Torunenses: cùm ille iuuenis qui vobis ob suam egregiam indolem, & in literis conscribendis ingenium ac industriam, vt merebatur charus erat, sua culpa & suorum congerronum insolentia, nimis atrociter ac miserè perijt. Quis eius cædis author? quæ eius crudelissimæ cædis, ac tumultus occasio? ipsimet vestri iuuenes nocturni grassatores, sua nimia licentia, vestra dissimulatione, suis clamoribus ac fortasse conuitijs, hanc misero iuueni necem peperêre atrocissimam. Quis tunc discipulorum nostrorum gladium strinxit? quis eorum comparuit? Itaq; vel hinc discite Torunenses non ex studiosis literarum, qui nostras scholas frequentant iuuenibus honestissimis ac nobilissimis; sed ex vestris filijs, ex illis vestris filiis, ex illis scholarum vestrarum discipulis timendos esse, Torunij tumultus: nisi illos potissimũ turbulentos scholarchas, & vagos illos aduenas scholares bacchantes, & incompositos beanos, seuera animaduersione coerceatis.

Nolite Torunenses de nostris discipulis conqueri, nos & nostri discipuli potius habent, quæ vobis obyciant, & in quibus de vobis querantur, qui non à vestris scholaribus, sed à vobis ipsis parentibus ipsorum, multa iniqué pasſi sunt, & patiuntur adhuc, conniuentibus vobis & nocentes adiuuantibus, atq; ad nocendum magis instigantibus. At cur ita? Occasionem Torunenses tumultus quæritis, vt si quis aliquando vobis authoribus suboriretur, in nos omnem culpam transfũderetis, atq; hoc modo contra nostras scholas agendi ansam arriperetis. Et hoc illud est quod Orator noster vobis obijcit, duoq; huius rei insignia affert exempla, quæ tamen Patronus vester, leuiter recensendo transit, vt pote quibus quod responderet non habebat: imò nec in suo licet mendaciorum feraci capite, contra illa quidquam tale comminisci poterat. *Ac proinde duo inquit exempla proponit Iesuita, in quorum priore Burgrabium accusat, repulsum esse ab officio Scholarem Iesuiticum, eò quod scholam Iesuitarum frequentaret. quod ridiculum esse quis non videt?* Nemo videt nisi in amentiam prolapsus id ridiculum esse; sed verissimum & dolendum. Quis enim nisi stultus, & extremè scelestus sit, ridiculum esse dicat, si adolescens nobilis á vulgari opifice verberibus verbo-

rumq; iniurijs afficiatur; nec tamen apud Torunensem Senatum iustitiam inuenire possit? sed negat id factum esse. En ego luculentus testis sum. Ego (quem pro inita vitæ ratione mentiri non decet) ego inquam ipse hunc adolescentem; Stepczynski is erat, non postremæ in Cuiauia Nobilitatis familiæ, ab vno vestro opifice male mulctatum, ad vestrum Burgrabium misi expostulatum de iniuria, & petitum iustitiam: Sed vt Orator noster docuit, & ego sum viuus & oculatus testis, eo ipso nomine quòd in nostris scholis literis operam daret, repulsus est ab iudicio, & nullam iustitiam ex hoc eodem nomine, vllo modo sibi posse fieri, a Burgrabio responsum accepit. Hoccine ridiculum cuiquam videri potest, quod ita nequiter & contra omne ius fasq; admissum est, & quod si homines nolunt, vel muri ipsi Ciuitatis testantur & clamant. Certè si vos nobilitatis obseruantissimi, quales vos fingitis, dum de nostris scholis facitis mentionem, essetis; aliter filios illorum tractaretis, & tanta eos affici ignominia nunquam pateremini, aut supplices & iniuria affectos à vestro iudicio repelleretis. Sed cæcum & in extinguibile in Iesuitas odium, vobis ne hoc faciatis ligat manus.

In altero vero exemplo inquit Patronus vester: commendat Iesuita iustitiam Burgrabij, quæ tamen non videtur ex parte esse ad gustum & Saliuam Iesuitæ. Quid cùm sua saliua Anonymus? iam mihi non tantum tot vanissima figmenta ipsius, sed vel ipsi loquendi modi tam insulsi, tamque insipidi fastidium pariunt. Porrò quod dicit Oratorem nostrum, laudare iustitiam Burgrabij, vel effrontem & impudentem mentiendi audaciam suam condemnat, vel se imperitissimum ac rudem esse hominem, qui nec sensum, quem verba aut narratio historiæ natura sua contineat, assequitur, manifestè declarat. Quod enim verbum in tota illa oratione reperitur, quo laus & iustitiæ Burgrabij commendatio, cótineatur? An enim obiicere iniustitiam est commendare iustitiam? Nonne disertis verbis & testimonijs in eo iniquitatem, vestri Burgrabij ostendit Orator, quòd rogantibus nomine meo, Generosis Dominis, D. Alberto Rytwinski Dapifero Dobrzinensi, & D. Simone Lazinski, vt iustitiam administraret, ex opiffice quodam, qui nostro discipulo sine vlla causa colaphum impegerat; eam administrare recusauit. Quid ergo tandem ille ad eorum postulata? ô insignem iustitiam, & nouam in reum inquirendi rationem! *Magis, inquit, conscientiæ illius credendum est quàm testibus.* & sic liberum eum pronuntiauit, quia culpam non fatebatur, tametsi essent testes, qui eum conuincere vellent. At cur quæso? si opificis

negatn.

negantis conſcientiæ credis? cur inquam & læſi affirmantis conſcientiæ non credis? An opifex apud vos, quàm ingenuus adoleſcens dignior fide? ſed quia ille Hæreticus; hic Catholicus & quod caput eſt, noſter diſcipulus erat. Cúm ergo illi Domini vrgerent, ne talia Burgrabius flocci faceret, ſed omnibus turbis quæ ſic exoriri facilé poſſent maturè occurreret, & tam priuatæ quám publicæ tranquillitati proſpiceret. *Quid hîc Burgrabius? Plura inquit, talia erunt.* Cúmq; illi ſubiunxerunt, imò & Patribus ipſis feneſtræ à veſtris opificibus excutiuntur, & ipſi clamoribus ac ſibilis, dum eunt per ciuitatem proterué, ac procaciter excipiuntur, & alijs modis indigné tractantur. Reſpondit ille ſuum illud: *Plura talia erunt.* Ergoné inferunt illi, vultis Nobilitati iniurias facere? *Abſit,* reſpondit ille, *ſed Scholis, qui nullum lapidem non mouebimus, vt malè captæ peius deſinant, idq; omni conatu curabimus, vt ſi non lapidibus, ſaltem ferro omnis aditus ad eas præcludatur.* O exulceratum odio animum. ô odium inexſaturabili inuidia ſuccenſum. Itaq; Domini illi cùm nihil ſe viderent proficere, & animum Torunenſium, ira odioq; obſtinatum, tandem in extremo digreſſu hæc addiderunt: Vos videritis, inquiunt, Torunenſes, quem hi veſtri tanti conatus exitum ſint habituri. Atque hæc omnia, vt dixi, ijdem Domini mihi fideliter, poſt ſuum è curia diſceſſum retulerunt. Haberem, & multa alia contra Torunenſes, poſſem non pauca afferre exempla, quomodo illi noſtros diſcipulos, non leuibus, nec raris affecerunt iniurijs ac contumelijs. Sed quid opus eſt, cúm nec ab his ſeſe hactenus purgare potuerint.

Quarta ratio Torunenſium contra noſtras Scholas eſt: *quia* inquiunt, *iuſtitiam de veſtris Scholaribus inſolentibus, apud vos inuenire non poſſumus.* Par pari vos hîc reddere Torunenſes video: Quia enim Orator noſter vos incuſauit, quòd iuſtitiam ex veſtris opificibus adminiſtrare nolueritis, ideo patronus veſter eandem in nos culpam transfundit, & vobis de noſtris Scholaribus, iuſtitiam non fuiſſe adminiſtratam conqueritur. Sed à quo tandem poſtulaſtis illam aliquando? à me certé nunquam, cùm ſeſqui anno illas Scholas rexerim. Deinde quiſnam vnquam tales tumultus in ciuitate ex noſtris diſcipulis excitauit, quando, & quam ob cauſam? cur non dicitis? quis in plateis quenquam ex noſtris, lapidibus appetijt? quis extra vineas quas vos multas habetis, filium ciuis cuiuſdam honeſti malé tractauit? Scilicet vos iſta pateremini, aut non adminiſtratam iuſtitiam ſicco pede tranſiretis? qui etiam vobis de noſtra iuuentute licet innocentiſſima, vindictam ſumere ſoletis, & hoc rectè vos facere in hoc Patrocinio veſtro gloriamini, Ita planè eſt, vt omnia vobis

 liceant

liceant Torunij, pro Regia vestra potestate, quam profitemini, vt grauissimus quidam Senator dixit.

Verùm alteram similem huic calumniam, de nostris studiosis, bene Illustris. Gębickj in suis literis diluit, cùm in ipso primo exordio Scholarũ nostrarũ Torunij, ante decẽ annos, ab ijs tumultus in ciuitate fieri, & homines lapidibus temerè peti passim spargeretis: *Quæ verò* inquit ille, *de contentiunculis quibusdam puerorum querebamini, tametsi leuiora videbantur; tamen ita eæ à nobis quoq; compreßæ fuerunt. vt ne haberetis quidem quod accusaretis, cum id à nobis, præsentibus Illustris. DD. Palatinis, in postremo nostro conuentu sollicite percontaremur. Nunc grauiora vobis metuenda eße facile sentietis, si diligentius reputaueritis cum animis vestris, quot & quales in hac Societate IESV iniuria grauißimè læsistis &c.* Quid ergo tumultus & nescio quas insolentias nostris discipulis Torunenses & nunc obijcitis, quos post diligentem inquisitionem immunes esse, vos ipsi etiam inueniretis?

Sed vident Torunenses, se nihil tale posse nobis verè obijcere, ideo quærunt diuerticula, & per varios anfractus & cuniculos, quærunt tamen aliquid dicere, quo hanc suã calumniã aliquo modo colorent & si possibile sit probabilem faciant: vnde & Patronus ipsorum in eadem re adducit exemplum illius adolescentis, qui á Parente Torunio Posnaniam profugerat. *Seduxerant*, inquit ille (*intelligit nostros discipulos*) *instinctu & suasu Simonis vestri Rectoris Ciuis vnius filium, vt Patre & Matre relicta Posnaniam versus clam fugeret, quod & confessi sunt se id Rectoris iußu fecisse, vt testantur acta Torunensium. Nec vos*, inquit, *extricare poteritis ex ista suspitione per recognitionem istius adolescentis fugitiut quam Posnaniæ fecit. Quia enim in faucibus vestris erat facere coactus hoc fuit ad vestrum arbitrium.* Nescio planè plura ne sint in tam pauculis lineis verba, an mendacia. Primum enim, nullus vnquam Simon fuit Rector Collegij Torunensis maximè sub illud tempus. Ego egi tunc Rectorem ibi boni viri dum id accidit, quid? non me noueratis? vel quo vocarer nomine nesciebatis? Odium video ita vos iam Torunenses excæcauit, vt quid dicatis, ipsi planè nesciatis. Quod verò illum adolescentem suasu Rectoris á vobis conficti & quem ne per somnium quidem vidistis, seductum esse affirmatis, neq; nos posse ex hac suspicione extricare per recognitionem eiusdem adolescentis, age videamus, vtrum non extricemus, licet neq; intricati simus. Itane vos Torunenses tantùm vobis arrogare audetis, tantum de vobis præsumitis, vt nullius recognitiones sacramento iuramenti confirmatas, non extortas, coram honestissimis & prudentissimis

Iudici

Iudicib9 Catholicis, & vobis præter hæresi, & contumaciā, per omnia æqualibus, legitimè factas admittatis? At in manibus nostris erat ille adolescens, & quod coactus est facere fecit? Calumnia est Torunenses, probate hoc. Credite spectatissimis & omni fide dignissimis Ciuibus Posnaniensibus, in quorum manibus publicè illa recognitio facta est, in qua illi disertissimè perscribunt, ad requisitionem officiosam non alicuius è nostra Societate; sed Spectabilis & integræ fidei D. Ioannis Vincleri viri Consularis Posnaniæ, qui & illum puerum secum Torunio, quòd ab eo multùm rogaretur, aduexerat, qua de causa, & quomodo ille adolescens domum paternam reliquerit, & Posnaniam venerit. Quam recognitionem in manibus tantorum Ciuium factam, & sigillo eorundem approbatam, libenter hîc intersererem, vt omnes vestram calumniam cognoscerent; nisi & fastidiosam prolixitatem orationis timerem, & eam vos habere, ac proinde & legere posse, scirem. Credite & Illustri D. Fabiano Pliemienckj, qui propter hoc ipsum, vnum è famulis suis hominem Nobilem Piskorskj dictum, Posnaniam destinauit, vt inuentum iuuenem illum Torunium reduceret, non tamen priùs, quàm publica attestatione legitimé coram Iudicibus fateretur, cur & cuiusnam suasu Torunio á Parentibus abierit. Fecit vt ille fidelis totum, id quod sibi ab hero suo fuit demandatum, & omnia ita se habere inuenit, vt illa recognitio testatur, eum scilicet iuuenem neq; suasu cuiusquam è nostra Societate, neq; Domini Vincleri, aut discipulorum nostrorum monitu, è domo paterna discessisse, sed suapte sponte propter austeram & hæreticam sui Parentis disciplinam, & ob negotia quibus illum obruebat, id fecisse. Potestisne Torunenses dicere, cùm eandem recognitionem, is iuuenis Posnania Torunium reductus apud Illustrem D. Plemienckj confirmaret, illum etiam tunc in manibus nostris, aut vt vester Patronus ait, (quàm insulsé non dico) in faucibus fuisse? Atq; hoc illud est, quo etiā vos Orator noster conuicit: & vestram iniustitiam ac temeritatem ad oculum omnibus ostendit, qui propter leuissimas & inanissimas suspitiones, tot homines, innocentes & graues, tam insigni iniuria afficere non dubitaueritis. Quid vero ad hoc Patronus vester? siluit, palluit, dissimulauit, neq; enim tanti viri testimonio quidquam opponere potuit, vt tamen aliquid diceret, & falsitati ac mendacio, non veritati patrocinaretur, recognitionem Posnaniæ factam eleuare, & in suspitionem adducere est aggressus. At non ne eadèm illa fuit Posnaniensis, quæ & coram Ill. D. Pliemienskj est facta? Iam quod dicitis, Acta Torunensium testari nostros

ri nostros

ri nostros discipulos palàm coram Iudicio fuisse confessos, à nobis fuisse seductum, plusquam falsum est, & ipsa falsitate falsius, nullam habetis illorum recognitionem, aut si quam habetis, non illorum, sed vestra est. An non illi innocentes iuuenes, postquam é vestro carcere, tanquam é teterrima sentina emerserunt, publicè præsente Ministeriali & Nobilitate interrogati responderunt: se cùm variè tentati & territi per vestros lictores fuissent, vt ea dicerent quæ velletis vos, fretos testimonio suæ conscientiæ, semper sui similes extitisse, neque minis aut pollicitationibus quibusuis cessisse, in contestanda sua nostraq; innocentia. De quo etiam protestatio facta est contra vos. Isti planè miseri, non iam in manibus, sed verè in faucibus fuère vestris, quibus grauissimè constricti & oppressi, si quid contra suam conscientiam, & nostram suamq; innocentiam dixissent, & id quod vos ab illis extorquebatis fassi fuissent; adhuc tamen nihil contra nos haberetis, non enim extorta, sed libera testimonia pondus & valorem habent. An non fauces erant, carceres illi teterrimi, in quibus innocentes illos iuuenes, per dies octo tanquam homines facinorosos, & publicos latrones, frigore ac media penè enecabatis, fætore ac squallore suffocabatis? Nec vnus carcer vobis ad torquendos miseros illos vinctos sufficiebat, sed eos in triplici carcere, ex vno in aliũ conijciendo detinuistis. Cur quando cũ vestro Senatu per M. D. Plemienckj, & M. D. Ioannem Boruckj Dapiferum Brzestënsem esset actum, vt saltem pro captiuis illis vades aut obsides admitteretis, hanc tamen tam Illustrium virorum postulationem contempsistis? Imò tantùm abest vt hoc faceretis, vt etiam in contemptum illorũ & nostræ Societ., ac omnium Catholicorum, vnum ex illis adolescentibus in publicum carcerem intruderetis, vnde tam à nostris studiosis, quàm ab omnibus alijs videri, & illos alloqui posset. At cur ita viri boni fecistis? nempe eo animo vt quemadmodum non ego, sed quidam grauissimi viri ex Nobilitate visa re dixerunt, vt inquam aspectus illius, Studiosos Nobiles ad turbas in ciuitate ciendas concitaret, sicq; Torunenses agendi prætextum aliquem contra nostras Scholas haberent. O malitiam execrabilem? O odium Diabolicum? Audent Torunenses dicere, à nobis recognitiones falsas extorqueri, á nostris discipulis tumultus excitari quod probare non possunt: & non vident se hoc ipsum agere, quod tam manifestè probamus.

Venio ad extremam Torunensium obiectionem, in hoc illos monitos hic relinquens, vt diligenter videant, vtrum dum hæc cum no-

stris

ſtris diſcipulis faciunt crimen Plagij non incurranr. Quid ergo di-cunt illi? *Si quid graue in Ciuitate ſtudioſi veſtri, inquiunt, committerent, vt ſi aliquem vulnerarent, mutilarent aut occiderent, non punientur à vobis pœna proportionata delicto, quæ enim mihi pœna, ſi hominem inquiunt, turbulentum, ebrioſum & homicidam, ferula puerili & excluſione Gymnaſii, ſeu prohibitione conſuetudinis cum alijs ſtudioſis puniatis?* Quid? volebatis vt gladio vel ſecuri eos percuteremus? vobis hoc munus & Magiſtratui ſeculari relinquimus. Nobis ſatis eſt, vt cùm aliquis ſtudioſorum, enorme aliquod facinus commiſerit, excludatur mox è Scholis noſtris, nec ampliùs noſtri Diſcipuli vel nomen ipſum retineat, ſed illico Magiſtratui ſæculari ſubijciatur. Atq; vtinam in huius modi proteruos, & inobedientes diſcipulos, quid dico diſcipulos, cùm hoc nomine vt indigni exuti ſint? potiús in diſcipulorum noſtrorum corruptores, aliquando ſæcularis, animaduertat Magiſtratus. Hoc enim eſt, quod nos ſæpè dolemus, & coram Nobilitate querimur, ſæpe eos quos ex noſtris ſcholis eiecimus, in ciuitatate non ſolùm manere, ſed ſub nomine ſtudioſi, multa nefanda patrare, iuuentutem noſtram corrumpere, nec inueniri eum, qui tales peſtes coerceat & puniat. Sed hoc non eſt timendum Torunij, in talem enim vos facilè, quod non damnamus, imò laudamus, animaduerteretis, qui etiam innocentes, & nullius culpæ conſcios, carceribus & vinculis affligitis. Sed fucum vos facitis, cùm dicitis: *Quòd ſi ſtricto iudicio procederent Torunenſes, contra filium Nobilis patratorem alicuius ſceleris, an non exiſtimas, Nobiles, cum Ciuibus commiſſum iri? hoc ne ſiat, cùm Torunenſes Nobilitatis obſeruantiſsimi ſint, & omnem vel leuiuſculæ offenſæ occaſionem vitent, conſentire nec volunt, nec poſſunt, vt veſtrum Seminarium Torunij ſit.* Videte adulationem, Sycophantiam, & impudentiam. An enim non ſtricto iure procederetis, contra ipſos Nobiles Patres horum filiorum, ſi quis illorum, publicæ pacis violator eſſet, ſicut & proceſſiſtis aliquando? Non enim vos indormitis, veſtris rebus. Quomodo ergo non exiſtimatis, Nobiles tunc vobiſcum commiſſum iri? An non ipſe ego aliquoties vidi Nobiles aliquos, propter exploſionem, bombardæ, & euaginationem gladij, iuſſos ſtipatos lictoribus comparere coram Burgrabio veſtro? quomodo tunc non timebatis Nobiles cum Ciuibus committi? quomodo verum eſt, vos ita Nobilitatis Obſeruantiſſimos eſſe, vt omnem vel leuiuſculæ offenſæ occaſionem vitetis, qui hæc facitis? Videtis vos hic in anguſtias redactos, videtis quàm vera ſint ea quæ dicitis? Non Nobilitatem, vos cum ciuibus committi metuitis, ſed ad noſtras ſcho-

L las ex

las exturbandas, omnes quas poteſtis, licet vaniſſimas ratiunculas vndequaque corraditis. Facite vos cum Nobilitate quod alij faciunt, eſt Rex, ſunt Comitia, ſunt Tribunalia, ſunt Iudices Nobilitatis, qui iuſtitiam adminiſtrent: nolite quidquam priuata authoritate, niſi quando iure vobis conceſſum eſt, in Nobilitatem facere, & bene ſecuri eritis. Quanquam & hoc de noſtra iuuentute Torunenſi, ſecuré vobis poſſem polliceri, eam longé magis apud vos, quàm alibi fore modeſtam. Non ſolúm enim nos; ſed vos etiam timent. Eſt enim apud vos diſciplina, & in noſtros præſertim diſcipulos, oculum intentum habetis. Poteſtis cùm vultis omnibus occurrere turbis. In quo haud ægré laudo vos. Neq; enim meum eſt veſtris benefactis detrahere. Vtinam tantum nobiſcum conueniretis, certé nullibi modeſtiorem iuuentutem haberemus: quod ipſum etiam Sereniſſimus Rex optat & inculcat vobis. Factum quod dignum eſt plagis, permittite illud puniri á nobis: ſi quid grauiús quiſpiam promeretur, ſignificate nobis, & ſi quid tale erit, rèum excluſum à nobis ex ſcholis punite, nec timete commiſſum iri, Nobiles cum ciuibus; ſicut neq; timetis tunc, cúm in aliquem alium, qui non ſit ex noſtris diſcipulis, animaduertere decernitis.

Atque dum finem huic capiti facio, illud in mentem venit, vt illi querimoniæ Patroni veſtri ſatisfacerem, qui contra nos inuehitur, quòd Magiſtratus Torunenſis & ciues, vocentur à nobis *homines de triuio, canes rancidi, Pagani, & impune quidem.* Magna certè contumelia & non ferenda. Quid vltra? *ſiccine* inquit, *Omnia vobis inulta erunt? abſit vt ſint inulta. Sed* perge. *Siccine quos Regia, inquit, Maieſtas fidelium ſuorum, dilectorum loco habet.* (ò inſignem titulum & dignitatem) *vobis Suitis contra eos, ſuū inſtar grunnire licebit?* (ò ſcelus infandum) *Cauete vobis ne duro nodo, durus ſit querendus cuneus.* Sed audite ētiam Torunenſes. cur vos palam tantis contumelijs noſtram Societatem onerare non veremini? vos inquam, qui probare non poteſtis, an ea quæ aſſertis, à nobis in vos dicantur? cur vos omnia quæcunq; collibuerit, ſine teſte, ſine loco, nulla circumſtantia, nulla probabilitate in nos effutire non timetis? adeo vt ſæpius repeti oporteat illud: Quis hoc dixit? quando & vbi? Quis nobis iuſtitiam adminiſtrabit de vobis? qui nos toties non priuatim ſolum, ſed publicè etiam in proteſtationibus, in varijs chartis, atq; in hoc ipſo libello vocatis, *relegatos ex Gallia, precariam in Polonia poſſeſſionem nactos: conuictos grauiſsimorum ſcelerum: canum more oblatrantes: & ſuum more grunnientes: homines infames: turbulentos, pacis publicæ inimicos, rerum alienarum raptores?*

tores? & quidnam ad contumeliam nostràm omisistis? Annon sumus nati in Polonia? an non hic educati? An non præcipuam Poloniæ Nobilitatis sobolem, vt de alijs regnis nihil dicam, in nostra Societate habemus? Audetne hic vester tenebrio, & temulentus è famosa prodiens helluo popina, tot Illustrium Senatorum, ac præcipue Nobilitatis filios, profugos & è Gallia relegatos appellare? Næ tantam iniuriã Torunenses vlcisceremur, nisi nos Christianę pietatis, & nostri Instituti ratio auocaret. Quid de precaria possessione nostra dicitis, qui nostros Maiores summa Regum Poloniæ, totiusq; Reipub. voluntate in hoc Regnum introductos scitis? Quid grauissimorum conuictos scelerum? quid homines turbulentos appellatis? Probate hoc Torunenses, & si non potestis os calumniosum compescite. Atq; dum hæc omnia sine fronte contra nos dicitis, *siccine* vt vestra vtar phrasi, & sermone contra nos directo, *Siccine inquam omnia vobis inulta erunt*? Siccine quos Regia Maiestas filiorum vel Patrum dilectissimorum, & innocentissimorum, & honestissimorum loco: habet & veneratur: vobis Torunenses, ciuibus, opificibus, laicis, hæreticis, contra nos garrire (neque enim vos suum instar grunnire, vt vos contumeliosè in nos dixistis, dicere volo) licebit? Sed dum vos ad titulos, quos vobis à Serenissimo Rege perhonorificè tribui gloriamini confugitis, audite quid de nostra Societate idem serenissimus Rex dicat, scio non ad palatum vestrum id futurum, sed audite tamen. Siquidem & nos vestra audiuimus. Meministis bene quid ante duos annos circiter, cùm nos apud ipsum varijs calumnijs Varsauiæ onerassetis, vobis responderit; non quidem tunc, neque enim vos dignos responsione iudicauit, sed postea per suum Commissarium M. D. Sczepanski Succamerarium Maideburgensem, hoc illi inter cætera luculentissimum nostræ innocentiæ testimonium, in scriptis dando, quod perferret ad vestram Ciuitatem. Verba optimi Regis sunt. *Summa nos capit admiratio, quòd homines DEO deuotos, dicatosque, quorum virtus & integritas toti Regno, ac vniuerso propemodum orbi conspicua est, quorum inculpatam vitam nos & miramur & adamamus, tam execrabili prosequamini odio, planeque de medio sublatos vt colligere licet cupiatis. Quapropter quoniam ex nostra voluntate omniumq; ordinum consensu vnanimi, in ea vrbe nostra, suis muneribus laudabiliter Sancteq; vacent, cupimus omnino maiorem illis exhiberi beneuolentiam idq; pro certo persuasum habeant, nos illorum iniuriam non aliter vt nostram accepturos, vindicaturosque.* Hactenus Serenissimus Rex pro nobis. Quod tale vos habetis Regium testimonium Torunenses?

 quia

Quia verò vobis Fidelium & dilectorum titulum ponit. magnum quid. Non est quod vobis multum de eo applaudatis. An non enim is titulus, communis est vobiscum omnibus Ciuitatibus Regi subditis (imò etiam ijs, qui aliquando sunt infideles: Certè ego non vnam vidi citationem Regiam, in qua fideles & dilecti vocabamini & tamen de infidelitate & quòd Regiam vobis Torunij vsurparetis potestatem, ad tribunal ipsius citabamini. Neq; enim illico sequitur vos esse fideles & Regi dilectos, si vobis talem in suis literis attribuat titulum. Sicuti si quis Senator aut Princeps ad vos scribendo, seruum se vestrum dum nomen subscribit, & vos Dominos, in titulo literarum appellet: non sequitur iam illum esse vestrum seruum, & vos illius Dominos. Hæc breuiter de hac vestra querimonia & de scholis nostris Torunenses accipite. Vobis fortassè non breuiter dictum videbitur; sed certè ita faciendum erat, vt si vobis & euidentibus rationibus, & sufficientibus responsionibus, æquitas fundationis nostri Collegij ostendatur, vobisq; obstruatur os, tandem aliquando á querimonijs & calumnijs quiescatis.

Conclusio cum Apostrophe ad Torunenses.

VIgesimus iam circumagitur annus, Torunenses, vt nos ab ipso planè ingressus nostri in vestrã ciuitatẽ exordio, varijs criminationibus impetere, calũnijs & conuitijs proscindere, nomẽ nostrũ per totũ Regnũ & extra, passim ac impunè traducere, illudq; in dies maioribus & grauioribus iniurijs onerare ac prope pessundare, non cessatis. Quieuimus hactenus inter iniurias, siluimus inter contumelias, inter probra sustinuimus, inter damna dissimulauimus, accusati non accusauimus, traducti non traduximus: & vt cum Apostolo loquar, Spectaculum vobis facti fuimus, operantesq;

manibus nostris, sumus maledicti & benediximus, persecutionem passi & sustinuimus, blasphemati & obsecrauimus, tanquam purgamenta huius mundi (apud vos) facti sumus, omnium (Ciuium vestrorum) peripsema vsq; adhuc; adeo vt verè illud Dauidicum in vos conueniat: *Exacuerunt vt gladium linguas suas, intenderunt arcum, rem amaram, vt sagittent in oculis immaculatum:* in nos verò illud Hieremiæ, *Facti sumus in derisum omni populo, canticum eorum tota die*, imò tot annis continuis. Neq; enim toto hoc tempore, quod sciam ego, quispiam è nostra Societate ad vestras respondit calumnias, aut accusationes & criminationes refutauit, licet id nonnulli ex amicis nostris, rei indignitate permoti, vltró præstiterint. Quia verò hæc patientia nostra diuturna, taciturnitas & modestia, non tantùm vos, vt à calumnijs vobis temperaretis, non repressit; verùm etiam magis irritauit, insolentioresq; ac audentiores contra nos effecit; ideó exemplo Apostoli qui etiam pro sua iniuria fecit; ne aut iustè vt sceleratus pati videretur, aut fideles adhuc infirmi scandalizarentur; iã vobis post tot iniurias respondere, vestras criminationes non ex aliqua animi ægritudine aut odio refellere, nos ipsos à calumnijs nostro ipsorum nomine purgare, ne planè *bonum nostrum nomen*, quod iuxta Sapientem, *melius est quàm diuitiæ multæ*, negligere, quod nimis crudele esse D. affirmat Augustinus, videamur. Hæc verò, meis licet imparibus humeris, est imposita prouincia, eò quód vobiscum duobus fermè annis

non ita

non ita pridem manſerim, & Collegium illud Rector gubernarim: ac proinde quid inter nos & vos intercedat negotij, vter noſtrum iniuriam faciat aut patiatur, vt rerum gnarus, multaq; expertus, & teſtis oculatus, ad omnia quæ obieciſtis, meliùs reſpondere poſſem. Submiſi ergo brachia oneri haud inuitus, & bonum nomen Societatis noſtræ, optimæ Parentis meæ, vt filium decet, á calumnijs vindicandum defendendumq; ſuſcepi: præſertim quód ſponté currens, non tam noſtrorum, quàm quorundam Illuſtrium virorum noſtri amantium, ſtimulis in id ipſum ſum incitatus, & impulſus: qui tam graues noſtras iniurias, tam diuturnas ac malitioſas impugnationes, ægerrimo ferentes animo, toties mihi illud Tullianum inculcant: *Quouſq; tandem ſilebitis, & veſtrum bonis omnibus acceptum nomen, per omnia Regna paſſim violari proſcindiq; patiemini? Quam diu hæc improborum hominum impune ſeſe iactabit & efferet audacia? nihilne vos communis veſtræ Societatis fama, quæ in dies magis ac mágis laceratur, ad ſilentij & taciturnitatis importunæ, fræna rumpenda mouet? at certè noſtra moueat, qui vos nobis, liberisq; noſtris in Magiſtros Duceſq; ſalutis elegimus. Non poteſt Magiſtri Ducisq; honor bonumq; nomen conuelli, quin fama diſcipuli ac militis, eodem labefactata motu concidat. Sicut enim, vt optimé Salomon: Gloria Patris, filius ſapiens, ita dedecus filij,* Pater *ſine honore. Agite ergo; veſtra enim gloria noſter honor eſt, & ueſtrum dedecus, noſtra infamia eſt.* Hæc illi ſæpius mihi, quorum ego iuſtiſsimis deſiderijs magis, quám meæ voluntati parendum putaui. Iam enim omnès videmus, Torunenſes, veſtram neſcio quam in nobis calumniandis audaciam in dies augmentum ſumere, &

maledicæ voluntati, dentes ad rodendum nostram famam, maiores ac maiores succrescere, vt iam planè non tacendum sit. En iam iterum hoc vestrum Panpseudion (de quo ego literas P. Rectoris Collegij Torunensis, eo ipso die, quo hunc scribebam Epilogũ, accepi) adhuc responso non accepto recuditis, & nostro vulgari idiomate translàtum prælo mandatis; & passim inter rudes æquè ac peritos promiscué spargitis. In quo etiam libro præter calumnias, quæ in Latino continentur, tanta styli mordacitate, tanta verborum obscænitate, talibus aulicismis, tam fædis atq; adeo é medio lupanari scortatorunq; sentina petitis, vtimini, vt profligatissimos ac perditissimos illos esse necesse sit, quibus illa conueniant, quæ nobis vos Torunenses obijcitis: de quorum innocentia ac integritate, Serenissimus Rex, & vniuersum Regnum longè aliud habet iudicium. Nec satis est, quin & vnum ex ijs iam recusis exemplar, ante nostras Scholas, nouo addito scommate, nescio qua audacia, proiecistis, & calamo hunc pasquillum in auersa facie chartæ calumniosè scripsistis. *Lege, perlege, & lauda Iesuita, Torunium vita, si tibi mala vita.* Quid hoc Torunenses? quæ ludibria? quæ scommata? quæ conuitia? quid contra nos machinamini? vitam nobis vos erepturos promittitis? vestram prius in tuto collocate, & tunc primum de nostra cogitabitis. Quid nos vnquam tale in vos peccauimus? in cuiusnam Ciuis vestri domum tales pasquillos & scomata pro-

iecimus

fecimus? Silendumne ergo erat nobis inter tantas iniurias? Certé pleriq; viri Principes, qui & authores mihi erant vt hanc Apologeticam ſcriberem reſponſionem, nobis vehementer perſuadebant, vt litem vobis de Turpiloquio intenderemus, & vos coram Iudice aut Rege ipſo, omnes eas calumnias Iuridicé probare, quas de nobis in veſtro Panpſeudio ſparſiſtis, cogeremus, quod ſané vobis præſtare eſſet difficillimum, imò impoſsibile. Quid enim? An non, ſi vobis ad Regium Tribunal diem diceremus, comparere deberetis? at quomodo quæſo, non dico iam illas domeſticas criminationes, nos per fraudem & contra iura in poſſeſsionem Domus Parochialis, Scholæ, & Eccleſiæ Torunenſis inuolaſſe iuuentutem ad nocendum Euangelicis incitare, & ad omne ſcelus in noſtris Scholis, eam informare, nos confæderato milite eſſe pernicioſiores, precariò nactos ſtationem in Polonia, more canum contra Confæderationem blaterare, Comitia etiam, more canum angulos obambulantes, perturbare, & infinita alia? quomodo inquam, non iam hæc domeſtica, ſed illa externa, de Gallis, de Venetis, de Anglis, de Italis probaretis! quomodo, nos palam in Concionibus, homines facinoroſos ad Regum cædes incitare, in Confeſsionibus idem ſuadere, atq; etiam in eodem Sacramento adminiſtrando; impudicé nos gerere, mentiri, docere, ſtabiliretis. Nos equidem pro ea quam in vos habemus obſeruantia, & pro noſtra modeſtia tam duram vobiſcum ingredi

gredi viam noluimus, sed illam mitiorem. Vobis Torunẽses etiã atq; etiam videndũ est, an rectè vestræ incolumitati & quieti prospiciatis, cùm tantis nos calumnijs onerare non desistitis, & tam duré tamq; procaciter homines Religiosos, & Deo dicatos tractatis. Erit enim tempus quo, si in vestro proposito contumaciter perrexeritis, vel nos ipsi, vel viri Principes huius Regni amici nostri, affines; vel demum ipse Illustrissimus Episcopus noster pastor, aut ipse Serenissimus Rex; quorum est innocentes ac sibi subiectos ab iniuria tueri, hanc causam in se assument: & vos nolitis velitis coram Iudicio respondere, singula quæ obiecistis legitimé probare, quod vobis durissimum erit, adigent, & pœna calumniatoribus debita mulctabunt, & tunc vos palinodiam canere & toties suffundi cogemini. Quod si hæc adhuc non expauescitis, *est vindex innocentium & vltor malorum Deus. Veniens veniet & non tardabit, citó faciet iudicium & iustitiam, & eos qui pupillam oculi sui tangunt, ac se persequuntur, exterminabit.* Qui enim tangit nos, tangit pupillam oculi Dei, & qui nos persequitur, Deum persequitur, ipsa teste æterna veritate. Vereor sané quam Catastrophen, ne luctuosam aliquam & grauem, hæc tota vestra Tragædia sit habitura. Sed Deus meliora, neq; enim nos quidquam mali imprecamur, qui ex mandato Saluatoris nostri, inimicos etiam strictiùs amare, & pro persequentibus nos, orare didicimus. Quod superest Torunenses, si rebus vestris prospicitis, si Numen Diuinum vobis

M propitium

propitium habere vultis, ſi Regem, totumq; Sena-tum in vos, maiori quodam ſtudio & beneuolentia propenſum, ſi pacem & tranquillitatem deſideratis, nolite contra apertam veritatem pugnare, nolite innocentes calumnijs laceſſere, & per totum Regnum iniuſtè traducere. Si quid contra nos habetis vel amicè nobiſcum expoſtulate, vel iudicio agite: non ſumus homines barbari, & qui nulli Magiſtratui pareamus: ſi quid tale in nobis inuentum fuerit, quod Iudices iudicabunt faciemus, cedemus: à calumnijs verò, & traductionibus liberi ſimus, non enim decet hoc caritatem Chriſtianam. Sed neque nos tantopere, hæc maledicta extimeſcimus, qui grauiora pati exemplo Ducis noſtri, cui nos deuouimus, & ſumus parati, & deſideramus. Sed vobis Torunenſes pro caritate qua vos amplectimur metuimus, ne aliquando vel Regis, vel ſaltem vindicis Dei dextram, quam nemo effugit, aut poteſt effugere, ſentiatis. *Nobis quidem iniuriam paſſis reponitur corona, iuſtitiæ, quam nobis reddet in illa die iuſtus Iudex, ſed* vobis iniuriam facientibus & potentibus *potentia tormenta* (quod Deus auertat) *parantur*. Sed nos omnia nobis meliora de vobis pollicemur. Exterminentur illi qui vos etiam nolentes, & nihil minus quàm hoc cogitantes contra nos inſtigant & vrgent: & quæcunq; ipſi in nos effutiuerint, aut ſcripſerint, totum in veſtrum caput redundare faciunt, nomenq; veſtrum lacerant. Vobis autem omnibus, nos gratiam ac miſericordiam, lumenq; cœleſte, a Deo Opt. Max. a quo omne do-

ne donum perfectum est, & a D. N. Iesu Christo; reditumq́; ad eius Ecclesiam, atq́; omnem felicitatem precamur, & optamus, vtq́; eam cõsequamini, diuinam ipsi Maiestatem, supplices exoramus & precamur.